Brunn 172

A.

447 K 22

DISSERTATIO POLEMICA, DE JURE NATURALI, DIVINO ET HUMANO,

In qua permultæ ponderoſæ, ac Theologis non minus, quàm Canoniſtis ſcitu neceſſariæ pertractantur quæſtiones.

MAGNO PATRIARCHÆ
Aurelio Auguſtino, Hipponenſi Epiſcopo,
Eccleſiæ DOCTORI Præclariſſimo
filiali corde conſecrata,

Authore & Præſide
A. R. Patre Magiſtro Antonio Hochkirchen,
Ordinis FF. Eremit. D. P. Auguſtini, SS. Theol. DOCTORE, ac Juris Canonici Profeſſore.

In Baſilica S. Thomæ Apoſtoli alternis diſputationibus die Novembris, ante & poſt meridiem.

Diſcuſſa & propugnata
à Religioſis & pereruditis Fratribus Clericis ejuſdem Ordinis & voti
F. Carolo Köhler. F. Ignatio Grana.
F. Valerio Conſtanz. F. Ægidio Mertha.

Cum Permiſſu Superiorum.

BRUNÆ, Typis Jacobi Maximiliani Swoboda, Anno 1728.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.
VERWIJDERD KON. BIBL.
VERWIJDERD
R. UNIV. BIBLIOTHEEK LEIDEN

DEDICATIO

MAGNE PATRIARCHA!

HIſtoria vitæ TUÆ prodit, TE nihil habuiſſe antiquius, quàm propugnandæ veritatis ergô cum hoſtibus fidei & gratiæ Chriſti, in arenam deſcendere, aut ſaltem alios de rebus Sacris ſpectare dimicantes, adeò, ut in anniverſario die Tuo natali, gratiſſimi xenij loco ſuſcipere ſolitus fueris, oblatam à diſcipulis diſputationem. PRÆSUL BEATISSIME! Dum juſſu BENEDICTI XIII. PONTIFICIS MAXIMI, nunc Sanctiſſimè regnantis, adminiculante verò præprimis Reverendiſſimo ac Sapientiſſimo Patre Mag. Fulgentio Bellelli inſtituti à TE Sacri Ordinis ſupremo Moderatore, Sacra Lipſana TUA, non abſque filiorum TUORUM ingenti jubilo, recens reperta & ſublimata eſſe intelleximus, redivivam Tuî quadantenus renaſcentis, concipientes imaginem; in filialis pietatis mnemoſynon Diſſertationem hanc polemicam glorioſis corporis Tui natalibus demiſſiſſimâ veneratione conſecramus. Profectò non abſque Divino conſilio, SANCTISSIMUS PAPA modernus imperavit, è tenebris oblivionis, ad lucem publicæ devotionis extrahi exuvias tanti Eccleſiæ Doctoris; ſiquidem hiſce exulceratis temporibus, exurgunt tenebriones multi, nefandum in modum obtrectantes ſanctitati & doctrinæ Divi Auguſtini, ejúſque memoriam (ſi poſſibile foret) penitus abolere contendentes. Eò dementiæ (teſte Emo noſtro Henrico de Noris S. R. E. Cardinali *in præfat. vindic. Aug.* quidam devenerunt, ut palàm effutiant: *Auguſtini doctrinam eſſe obſcuram, difficilem, intricatiſſimam, ſecum ipsâ pugnantem, pluribúsque erroribus obnoxiam eſſe - - - Auguſtinum poſitum ſub caligine: in Pelagianis oppugnandis, ultra veritatis limites, æſtu diſputationis abreptum - - - ipſius arma non eſſe inexpugnabilia, neque ſatis apta ad Calviniſtas ſuperandos: Hæreticorum argumentis*

tis minimè ſatisfeciſſe, neque poſitas abs ſe Theſes convincentibus argumentis comprobâſſe, quin imò, *volentem impugnare Auguſtini ſententias, habiturum adjutorem DEUM.* Vah! quàm abominanda temeritas ita ſentientium! quàm Sacrilega impietas ita convitiantium! quàm impudens falſitas talia ſcripturientium! Pariles Auguſtino-Maſtyges, Galliarum inquam Epiſcopos, contendentes olim tanti Magiſtri famam ſugillare, ejúsque doctrinam in diſcrimen vocare; denunciantibus SS. Proſpero & Hilario, Celeſtinus Papa vehementer corripuit, *Epiſt. 1. ad Epiſc. Gall. cap. 2.* qui dein totus in Magni Doctoris, dudum ſibi cum in vivis eſſet amiciſſimi, laudes effuſus; *Auguſtinum* (inquit) *ſanctæ recordationis virum pro vita ſua, atque meritis, in noſtra communione ſemper habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit; quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos, etiam à meis ſemper deceſſoribus haberetur. Bene ergò de eo omnes in communi ſenſerunt, utpote, qui ubique cunctis & amori fuerit & honori. Unde reſiſtendum talibus, quos malè creſcere videmus.* Audiamus & aliud Martini V. ſum. Pont. Solemne oraculum *in Serm. de translat. Corporis S. Monicæ. Quicunque* (inquit) *de Chriſto, de fide, de Religione aliquid ſaperent, omnibus in ore erat Auguſtinus, ut nihil penè ex ſacris literis poſſit niſi eo duce intelligi, nihil niſi eo interprete explicari. Eo jam Authore factum eſt, ut nec Philoſophis ſapientiam invideamus, nec Oratorum eloquentiam deſideremus, nec ſtudioſorum ingenia requiramus, non denique acumen Ariſtotelis neceſſarium ſit, non Platonis eloquentia, non prudentia Varronis, non gravitas Socratis, non authoritas Pythagoræ, non Empedoclis ſolertia, non cujusquam illius generis hominum ſcientia ac virtus, exemplo aut documento nobis eſſe debeat. Idem nobis Prophetarum Oracula, idem Apoſtolorum voces refert, idem omnem omnium Scripturarum ſenſum exprimit: unus poſtremò omnium Patrum ſapientúmque ingenia ac ſtudia exhibet. Si veritatem quæris, ſi doctrinam, ſi pietatem! quis doctior, quis juſtior, quis ut ita dicam ſanctior Auguſtino?* Huic conſonat Joannes XXII. Pont. Max.

in

in Bulla ad Ordinem S. Aug. ita perſonans: *velut Aquila grandis venit ad Libanum & Tulit medullam cedri, dum aggreſſus eſt quæſtiones altiſſimas & eaſdem profundiſſimas non exparit, quin imò in eis vitiorum ſpinis abſciſſis, profligatis Hæreſibus, earúmque radicibus extirpatis, Catholicæ fidei veritatem in lucem produxit, eduxit in publicum, ac invictis rationibus ſolidavit.* Unde Concil. Florentinum *Seſſ. 7.* Hipponenſem compellat: *Præclariſſimum Doctorem latinorum, quem Sancta V. Synodus recepit. Cujus* (inquit) Concil. Baſileenſe (*inter approbata*) *præferenda eſt authoritas in expoſitione Catholicæ veritatis omnibus Doctoribus modernis quantæcunque authoritatis ac ingenij fuerint.* Quin & Patres Synodi Generalis Conſtantinopol. ſub Vigilio Papa: *ſequimur* (ajebant) *per omnia Sanctum Auguſtinum, & ſuſcipimus omnia, quæ de recta fide & condemnatione Hæreticorum expoſuit.* Ut meritò BENEDICTUS fauſtiſſimè regnans, authoritate quâ pollet Chriſti Vicariâ *die 6. Novemb. An. 1724.* declaraverit: *Sanctorum Auguſtini & Thomæ inconcuſſa tutiſſimáque dogmata, nullis prorſus antedictæ Conſtitutionis* (duntaxat *unigenitus*) *cenſuris eſſe perſtricta.* Quid ad hæc, ô inſanæ mentes reponitis? vos nonnullas Auguſtini ſententias, præſertim de gratia ab intrinſeco efficaci. De Prædeſtinatione ante præviſa merita. De pœnis parvulorum ſine Baptiſmo decedentium. De operibus infidelium, &c. damnatas eſſe inverecundè aſſeritis! hi, quibus ſolis proſcribendarum opinionum poteſtas eſt (ſummi videlicet Pontifices) Auguſtini hac in re Doctrinam, datâ operâ firmant, dilaudant, commendant. Vos Auguſtinum traducitis ceu Mimum; Eccleſia eum prædicat Doctorem propè Divinum. Videte obſecro, quorſum vos evehat flatus ſuperbiæ, ut præcipites agat pondus nequitiæ! Tacete igitur ranæ, dum Apoſtolici throni Cœlum in favorem tanti Doctoris tonat. Quod ſi ſapere & æternam conſequi ſalutem deſideratis, *humiliter orate miſericordiæ Dominum, ut eundem Spiritum intelligentiæ legentes accipiatis, quem* ILLE *accepit, ut ſcriberet. S. Fulgentius lib. 2. De verit. Prædeſtin. cap 28.*

DIS-

DISSERTATIO POLEMICA

De

Jure Naturali, Divino, & Humano.

SUmma hæc Juris eſt partitio, quòd aliud ſit naturale, aliud Divinum, humanum aliud. Proinde ſicut Juſtinianus Imperator Inſtitutiones ſuas orſus eſt de Juſtitia & Jure, dein mox jubjecit de Jure naturali, gentium, & civili, antequam de perſonis, rebus, & actionibus Jura daret; ita non pigebit (faventibus ſuperis) ſubſecuturis tractatibus potiſſimam Juris Pontificij molem complexuris, Diſſertationem hanc generalem præmittere, à generalibus enim planiori itur viâ ad particularia. Sit proinde

SECTIO PRIMA

De

Jure Naturali.

§. PRIMUS.

Quid & quotuplex ſit jus naturale?

N. 1. PRimò perquirendum; quid ſit propriè jus naturale, & eſt ordinatio Divinæ ſapientiæ, aut (quod in idem recidit) lex æterna, nobis per dictamina rationis, veluti promulgatores manifeſtata,

 præci-

præcipiens ea, quæ rectæ rationi ſunt conſentanea, & prohibens contraria. Unde ipſa dictamina non ſunt lex naturæ *formaliter*, ſed *ſigna oſtenſiva* legis æternæ, quæ, quatenus ſic quadantenus promulgata, lex naturæ nuncupatur. Ita refragrantibus non paucis Thomiſtarum reapſe D. Thomas. *1. 2. q. 91. art. 2.* inquiens: *lex naturalis nihil aliud eſt, quàm participatio legis æternæ in rationali creatura.* *Ratio*: quia lex omnis eſt juſſio aut prohibitio. Jam verò, nec natura rationalis, nec uſus diſcernendi, nec dictamen rationis, ſunt juſſio aut prohibitio. Dein; jus naturale dicitur ſcriptum, impreſſum, ſignatum in cordibus noſtris: hoc autem intelligi nequit de natura rationali, aut de vi diſcernendi, aut de dictamine rationis, bene autem de lege æterna. Denique DEUS nihil facit fruſtra: atqui lex æterna ſufficienter nobis oſtendit per dictamen rationis, quidquid nobis oſtenderetur per legem naturalem diſtinctam. Ergò.

2. Nec difficultatem faceſſit, quòd Juſtinianus & Ulpianus *in princ. Inſtit. de I. N. G.* & *C.* & *L. Juri 1. §. 3. ff. de I. & I.* jus naturæ deſcribant: *quod natura omnia animalia docuit.* Siquidem, ut bene notat Schambogen ad *tit. cit.* Brutis tantùm convenit jus naturale *materialiter*, ſeu quò ad opera & actus à natura provenientes, non etiam *formaliter*, prout jus eſt lex, aut regula faciendorum. Cui argumento eſt, quòd ipſimet Juſtinianus & Ulpianus *in princ. Inſtit.* & *L. 1. §. 3. ff. ſi quadrup. pauper.* negent bruta cuipiam injuriam irrogare poſſe, quod tamen inficiari haud potuiſſent, ſi bruta Juris capacia ſomniaſſent, cùm injuria nihil aliud ſit, quàm, quòd non jure, aut contra jus fit. *Ratio* hujus eſt. Quia creaturæ irrationales nequeunt dirigi veræ rationis ductu, ſed ex neceſſitate naturæ ad unum quaſi objectum affixæ & alligatæ ſunt; neque tam agunt ex libera electione, quàm agantur ex impreſſa motione ad finem à natura præfixum.

3. Neque obſtat, quòd *Genes. 9. ℣. 5. Levit. 20. ℣. 15. & ſeq. Exod. 21. ℣. 28. & ſeq.* de puniendis brutis agatur, ut videri poſſint culpæ capacia. Nam bruta non puniuntur ratione præcedentis culpæ propriæ, ſed in deteſtationem criminis, & ad memoriam abolendam nefarij facinoris, quod quis cum beſtia commiſit, aut ad tollendam peccati occaſionem; vel in pœnam negligentis cuſtodis, ne ultrà noceat fera. Confer Franciſc: Schmier, *lib. 1. tract. 1. cap. 2. Sect. 1.* §. 5. Contra poſitam definitionem juris naturæ.

4. OG-

4. OGGERUNT 1. Jus, ſeu legem naturæ cognoſcimus, ſed non cognoſcimus ordinationem Divinæ ſapientiæ, aut legem æternam. *Quia, quæ DEI ſunt, nemo cognoſcit, niſi Spiritus DEI. 1. Corinth. 2.* ergo. ℟. *Diſt. mi* non cognoſcimus legem æternam, in quantùm eſt actus DEI præcisè. *Tranſeat.* & ideo; quia etſi non cognoſcamus *compreſivè*, ſicut DEUS ſe & actus ſuos cognoſcit, aut *intuitivè* ſicut Beati, cognoſcimus tamen *abſtractivè*. Non cognoſcimus legem æternam ex parte termini, ſeu eorum quæ præcipiuntur, aut prohibentur N. verùm, nec aliô modô cognoſcimus legem naturalem.

5. OGGERUNT 2. Lex æterna ſemper fuit, ſed lex naturalis non fuit ſemper, cùm ſit temporalis. ergo. ℟. *Diſt. mi* lex naturalis non fuit ſemper, ex parte Legiſlatoris N. ex parte ſubditorum & actualis obligationis C.

6. OGGER. 3. Lex naturalis dictat bonum faciendum; ſed hoc præſtat dictamen rationis; ergo in ipſo conſiſtit. ℟. *Diſt. mi* hoc facit dictamen rationis *præcipiendo* N. legem *manifeſtando* C.

7. Dividitur jus naturæ 1. per ordinem ad intellectum cognoſcentem, in per ſe notum omnibus, in per ſe notum ferè omnibus, & in ignotum pluribus. Ad primum ſpectant hæc prima & univerſaliſſima principia. *Bonum eſt faciendum, malum vitandum. Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Ad quæ reduci poſſunt quædam Decalogi præcepta, ut *quòd DEUS ſit colendus, Parentes honorandi*: illa etenim ita perſpicua ſunt, ut omni habenti uſum rationis confeſtim pateant, & ideo hoc jus naturæ eſt idem in omnibus, ac veluti proprietas conſequitur naturam ſpecificam hominis. Ad ſecundum ſpectant: *non eſſe mentiendum, occidendum, mœchandum*, illa quippe deducuntur ex primis principijs, ſine ullo vel modico labore, vel ſine ullo ferè diſcurſu, proinde ab omnibus ferè cognoſcuntur, nec perpetuò (niſi affectatè) ignorantur. Ad tertium pertinet, *non eſſe aliquid accipiendum ultra ſortem præcisè vi mutui. Spirituale non commutandum re temporali, &c.* quæ cùm difficulter à primis principijs eruantur, à multis ignorari poſſunt.

8. Per ordinem ad perſonas, circa quas verſatur, dividitur 2*dò* in illud, quod reſpicit DEUM. Cujus Juris ſunt præcepta Decalogi *primæ tabulæ*, in illud, quod reſpicit proximum, cujus ſunt præcepta *ſecundæ tabulæ*, & in illud, quod reſpicit noſmetipſos. Sic juris naturæ eſt, quòd vita propria ſit conſervanda. Totum hoc ſuccinctè complexus eſt Apoſtolus *ad Tit. 2. ℣. 12.* inquiens: *ſobriè, juſtè & piè*

vivamus. Sobriè quoad nos, *juſtè* quò ad proximum, & piè quò ad DEUM. Licet autem pietas quoque reſpiciat parentes & patriam; equidem, cùm DEUS ſit natura naturans (ut ajunt Theologi) & per conſequens, Pater noſter principalis; ipſum primario reſpicit.

9. *Tertiò*. Dividitur jus naturæ in illud, quod reſpicit naturam, ſecundùm ſuum ſtatum merè naturalem, conſideratam; & in illud, quod eandem reſpicit, prout elevatam ad ſtatum ſupernaturalem, & fidei lumine illuſtratam. Sic ſuppoſitâ naturæ rationalis elevatione, & Sacramentorum inſtitutione, jus naturæ dictat Sacramenta non eſſe irreverenter tractanda.

10. *Quartò*. Dividitur in præceptivum & permiſſivum, de qua diviſione pluribus infra. Si

11. ROGES: Num jus naturæ diſtingvatur à Jure Gentium? Jus Gentium aliud eſt *primarium* ſeu *antiquum*, aliud *ſecundarium*. Quidquid ratio ſimplex, abſque ullo, vel non ita difficili diſcurſu judicat, & cui quis abſque hæſitatione aſſentitur, illud eſt Juris gentium *primævi*, ut cultus DEI, reverentia Parentum. Quodcunque verò ratio compoſita, ſive ratiocinatio, & diſcurſus introduxit ex cauſa aliqua externa, neceſſitate ſcil: vel utilitate humana, illud eſt Juris Gentium *ſecundarij*. Ex quibus fluit R/ſio: quod jus naturale, & jus gentium *primævum* non diſtingvantur, diſcrepent tamen jus naturale & gentium ſecundarium, non quidem velut duæ ſpecies oppoſitæ, ſed ſubordinatæ. Confer Hopp. & Schamb. *ad tit. Inſtit. de I. N. G. & C.* ex dictis.

12. RESOLVITUR 1. Jus naturale diſcrepare à jure Divino poſitivo (de quo infra) naturale ſiquidem, ſolâ DEI, tanquam naturæ naturantis voluntate conſtitutum, ac hominum mentibus inditum, nec voce, nec Scripturâ promulgatur. Poſitivum verò, non membranæ cordis inaratur, ſed vel Scriptô datur, vel præconis ore publicatur.

13. RESOLVITUR 2. Diſcrimen eſſe inter legem æternam, ſeu jus naturale, Synderesim, & conſcientiam. Lex enim *æterna* ſeu *naturalis*, eſt ipſa Divinæ voluntatis ordinatio, nobis per dictamen rationis; veluti promulgata. *Syndereſis* eſt habitus primorum principiorum moralium, ſeu ipſummet dictamen rationis, ordinationem illam univerſaliter & abſque diſcurſu manifeſtans; *Conſcientia* verò, eſt dictamen ex ſyndereſi deductum, reſpiciens particulare hic & nunc faciendum, vel omittendum.

§. II.

§. II.

Quodnam ſit objectum ſeu materia Juris Naturalis?

14 Hîc in quæſtionem venit, quid præcisè jubeat, aut vetet jus naturale, ſeu quid lumen naturæ oſtendat eſſe neceſſariò faciendum vel omittendum, ſeclusâ qualibet, cujuslibet Legislatoris ordinatione poſitiva?

15. Inter omnes convenit, jus naturale, id omne prohibere, quod ex ſe naturæ rationali diſconvenit, id omne præcipere, quod eidem ex natura rei neceſſarium eſt: Quamobrèm præcipuum diſcrimen inter jus poſitivum & naturale, eſt, quòd illud tantùm ſit de neceſſarijs ex voluntate Legislatoris; hoc autem ex neceſſarijs de ſe ad honeſtatem & finem creaturæ rationalis. Sed quid in particulari jubeat aut vetet? diſceptatur. Pro reſolutione.

16. DICO 1. Omnia, quæ in Decalogi præceptis continentur, *ſi tertium, quò ad determinationem temporis, excipias*, ſunt materia Juris naturalis. *Ratio*: quia hæc omnia, ſeclusâ quacunque lege poſitivâ, neceſſariò conveniunt aut diſconveniunt naturæ tationali, ut patet eunti per ſingula. Quis enim mentis compos, non videat, creaturam rationalem, ex vi ſolius rationis naturalis, debere DEUM colere, parentes honorare, abſtinere à perjurio, blasphemia, furto, homicidio, adulterio, &c. Unde, quando *L. bona fides, ff. depoſiti.* dicitur, quòd multa quæ pertinent ad præcepta Decalogi, ſint materia Juris Gentium; ſermo eſt, de Jure Gentium *primævo*, quod coincidit cum Jure naturæ. juxta dicta *n.* 11.

17. *Dixi. Si tertium, &c.* Nam tametſi natura præſcribat, præcipiátque DEUM, tanquam principium & finem ſuum colere, non tamen potius die Sabbathi; quàm alio die. Proinde; quantùm ad determinationem Sabbathi, eſt Juris Divini poſitivi, quod, abrogatâ lege veteri, antiquatum eſt per legem Evangelicam, in qua Eccleſia tranſtulit obligationem illam à die Sabbathi in Dominicam.

18. DICO 2. Multa virtutum opera ſunt materia Juris naturæ præceptivi, non tamen omnia. *Ratio 1. p.* eſt; quia jus naturæ præcipit ſcil: debito tempore actus charitatis, juſtitiæ, Religionis, temperantiæ, pietatis, &c. ex ſolo quippe lumine naturali cognoſcimus, proximo extremè indigenti ſubveniendum; cuique, quod ſuum eſt, tribuendum; DEO & parentibus honorem exhibendum; tem-

peratè vivendum, &c. *Ratio 2. p.* eſt, quia multa virtutum opera non ſunt de præcepto; ſed conſilio. Lex enim naturæ non præcipit virginitatem colere, nudis pedibus incedere, nunquam carnes comedere, &c. hæc autem eſſe virtutum opera, nemo ibit inficias. Equidem, licet hi actus ſecundùm ſe non ſint materia Juris naturæ præceptivi, ſunt tamen Juris naturæ permiſſivi, quia hos actus non reprobat; quinimo modus, quò fieri debent, eſt ex præcepto legis naturæ, eſto enim actus conſilij non debeant abſolutè fieri, eo ipſo tamen, quò fiunt, fieri debent ſecundùm dictamen rectæ rationis.

19. Sigillatius loquendo, aſſerendum, quoque eſt, tam Matrimonium (in ratione ſcil: contractûs) quàm cœlibatum (humano genere jam ſatis propagato) ex Jure naturæ deſcendere; *Ratio prioris* eſt, quia ſicut homo naturaliter inclinatur ad conſervationem ſui ipſius, ita etiam, & multò magìs ad conſervationem propriæ ſpeciei; Matrimonium autem eſt medium neceſſarium ad conſervationem ſpeciei in eſſe *rationali*. Nam licet per fornicationem & vagum concubitum poſſit ſpecies multiplicari, & conſervari in eſſe *naturali*, non tamen in eſſe *rationali*, eò quòd ex ſimplici fornicatione regulariter & ut plurimùm ſequatur mala educatio prolis, &c. Cœlibatum verò ſub ſpontanea libertate, & abſque neceſſitate Jure naturæ permiſſum eſſe, inde convincitur, quia cœlibatus eſt bonum longè excellentius bono conjugij. tum quia præter mentis ſingularem tranquilitatem, expeditiorem cœleſtium rerum contemplationem affert, tum etiam, quia majorem ſimilitudinem mortalibus cum DEO, qui totus eſt Spiritus, adſciſcit.

20 Quando igitur nonnulli carne magìs, quàm Spiritu animati, contendunt, Matrimonium eſſe ſub præcepto inſtitutum, utpote, ſine quo genus humanum creſcere & multiplicari haud potuiſſet; ℞*det* ex à Catholicis Puffendorff, *de I. N. lib. 6. cap. 1. §. 7.* eſſe præceptum affirmativum, indefinitum & indeterminatum, non obligans ſingulos, & quovis tempore, videlicèt, quo genus humanum ſat multiplicatum exiſtit. Porrò hoc præceptum reducitur ad præceptum dilectionis proximi, quatenus conſervatio & multiplicatio ſpeciei, pertinet ad bonum proximi, alij volunt illud reduci ad præceptum de non occidendo, quatenus, qui nollet in neceſſitate matrimonium contrahere, cenſeretur quaſi occidere genus humanum.

21. Q. An Polygamia ſit contra jus naturæ. Vitriarius *in Inſtit. I. N. cap. 5. n. 16.* & ex eo Schmier *lib. 1. tract. 1. cap. 2. Sect. 2. §. 4. N. 120.* indiſtinctè affirmat, tam de polygamia virili, quàm fœminina, ante ℞.

22. Obſerva cum D. Thoma *3. p. q. 65. art. 1. in* ⊙ duplicem eſſe finem matrimonij, unum *principalem.* ſcil: prolis procreationem & educationem, qui quidem finis convenit homini ut animal eſt, proinde cæteris animantibus communis, alium *ſecundarium*, qui conſiſtit in mutuo obſequio, in communicatione bonorum & operum inter conjuges, & hic ſolus hominibus proprius eſt. His accedit tertius finis inter fideles novæ legis ſcil: *ſignificatio conjunctionis Chriſti cum Eccleſia.* Sed hic à nobis impræſentiarum non attenditur, quia hìc conſideramus Matrimonium ſub ratione contractûs, non Sacramenti. Nunc

23. Reſp. 1. Pluralitatem virorum ſub una uxore, eſſe contra jus naturæ, cùm ſit contra utrúmque Matrimonij finem. Contra *1marium* quidem; quia diverſorum virorum heterogenea ſeminum mixtio, vel prorſus impedit generationem prolis, vel eandem incertam reddit ex parte patris, cui potiſſima prolis educandæ cura incumbit. Contra *2darium* verò; qui eſt pacifica familiæ gubernatio; quia pax & tranquillitas familiæ ſub gubernantium pluralitate ſervari nequit.

24. RESP. 2. Polygamia, ſeu uxorum pluralitas ſub uno viro eſt quidem contra jus naturæ, non tamen directè fini primario Matrimonij, ſed tantùm ſecundariò adverſatur. ità D. Thomas *loc. cit. in* ⊙ *pluralitas uxorum* (inquit S. Doctor) *neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit, primum finem, cùm unus vir ſufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, & educandis filijs inde natis: ſed ſecundarium finem, etſi non totaliter tollat, multùm tamen impedit, eò quòd non facilè poteſt eſſe pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur.* Cùm Zelotypia laboret fragilis fœminarum ſexus, & fieri nequeat, quin viri affectus magìs feratur erga unam, quàm aliam. Tum etiam, quia finis 2*darius* Matrimonij (poſt peccatum Adami) eſt remedium contra concupiſcentiam, quô non ſemper ad votum uti poteſt uxor, cujus vir pluribus copulatur mulieribus.

25. Concludendum etiam eſt, errorem, vim, impotentiam, & quæcunque impedimenta, quæ defectum ſubſtantialem, ſive ex parte corporis, ſive ex parte animi, ſive ratione voluntatis, ſive ratione poteſtatis inducunt, ex Jure naturæ deſcendere, neque enim creaturæ rationales ratihabere potuerunt Matrimonium, cui ſubſtantialia deſunt.

26. Aſſe-

26. Aſſerendum inſuper, originem Patriæ poteſtatis, quatenus includit jus regendi, educandi & alendi liberos, à Jure naturæ deduci; quid enim prodeſſet liberos procreâſſe, ſi liceret in cunis eos ad manes & manus mortis damnare, alimentô vitæque vehiculô deſtitutos?

27. Sed nunquid hoc jus etiam competit Matri? inſpecto jure naturæ permiſſivo, perinde Matri ac Patri competit, ob æqualem, ſi non majorem illius, quàm hujus in liberos amorem & laborem. Quanquam, ſi convenire non poſſint, viro utique potius & præſtantius imperium, quàm fœminæ, conceſſum videatur. Puffendorff *de I. N. lib. 6. c. 2.* Rectiùs dixeris; jus Matris eſſe æquale patriæ poteſtati, comparatè ad liberos, infirmiùs verò & inferius, ſi tam ad Patrem, quàm ad liberos comparetur. Nam ut rectè Hoppius *ad tit. Inſtit. de Patr. poteſt.* Jure naturæ poteſtas Matris, poteſtati Patris eſt ſubordinata, ob maritale imperium, quod competit in uxorem. Quòd verò Jure Romano, Pater nactus fuerit poteſtatem in liberos, non Mater, ideo eſt; quia maluit hoc jus reſpicere ad caput, quàm ad coſtam, & peculiares effectus, & vim attribuere patri, quàm matri. Quamobrèm & jus patriæ poteſtatis peculiare Juris eſt Civilis. Hopp. *loc. cit.*

28. RESULTAT ex dictis: Diviſionem rerum, ſuppoſitâ humani generis multitudine & multiplicatione, Juri naturali, non abſque fundamento adſcribi poſſe. Tametſi enim prima mundi ætate, res aliquamdiu communes fuerint, nihilo tamen minùs iſta communio non erat Juris naturæ præceptivi, ſed permiſſivi, & conditionati, eoúsque videl. reſtricta; donec communio pax & tranquillitas humanæ Societatis, receſſum à communione & diviſionem ac proprietatem exigeret. Confer Puffendorff *de I. N. & G. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 6.

29. Non minùs etiam obligatio ſervandi fidem in pactionibus & contractibus mutuò datam, ex Jure naturæ pullulat; Eſto enim liberum & arbitrarium cuivis ſit, velítne paciſci & contrahere, attamen contractus & pacta ſincerè & ſanctè inita, eludere aut contemnere, ſine injuria & offenſa boni publici, ac ſine transgreſſione legis naturalis non licet; alioquin quis alteri fideret, crederet, conſentiret, juratam quoque fidem interponenti? certè nemo. Sicque neceſſum foret intercidere commercia, diſſolvi Societates, perire Reſpublicas, fide, unico velut commerciorum, Societatum, & rerum publica-

blicarum vinculo deficiente. Schmier *loc. cit.* §. 4. Quâ ratione & ipſe Princeps tenetur ſervare contractus & pacta cum ſuis ſubditis inita, quia grave nimis fidem fallere. *L. quod Principi, 1. de Conſtit. Princip.* quæ etiam hoſti ſervanda. *Can. noli 3. cauſ. 23. q. 1.* quinimo nec Princeps revocare poteſt privilegium ſubditis conceſſum ex cauſa oneroſa, vel in remunerationem, aut per abſolutam donationem, per quam tranſeat in dominium ſubditorum. Zoës. *ad ff. de LL. SCtis &c. n. 37. & ſeqq.* vide dicta *ad Reg. I. C. Decet conceſſum, &c.*

30. Porrò, Teſtamenti factio, prout eſt poſtrema mentis teſtatio præcisè, non prout ſolennitatibus Juris Civilis fulciri debet, ex præjactis natutalium legum regulis quàm optimè probatur. Quid enim æquius eſt, quàm, ut quæ quisque labore & ſudore vivus ſibi parturijt bona, tum inter vivos, tum etiam in caſum ſecuturæ mortis, in alios erogare, officia demereri, & beneficia compenſare queat?

§. III.

Utrum jus naturale actus quos prohibet, eô ipsô irritet?

31. QUando actus naturali Jure prohibitus eſt ob defectum poteſtatis, vel materiæ incapacitatem, inſimul eſt irritus. *Ratio* in aprico eſt. Quia tunc deeſt aliquod principium & requiſitum ſubſtantiale, quo ſine actus nec licere nec valere poteſt; quamobrèm, quia vis, dolus, & error ſubſtantialis tollunt aliquod principium ſubſtantiale, conſenſum videlicet; reddunt Matrimonium & contractum quemcúnque invalidum. Hoc pacto etiam impotentia perpetua, quia inducit incapacitatem in materia, corpore ſcil: humano, Matrimonij licitatem & valorem ſufflaminat. Et tandem, quia re unâ, uni venditâ & traditâ, amittitur dominium, amittitur etiam poteſtas rem illam alteri vendendi, & tradendi, ideóque 2da venditio & traditio nulla eſt.

32. Inſuper, quando actus eſt prohibitus ob indecentiam in materia repertam, eáque cauſam habet perpetuam, non tantùm illicitus, ſed etiam invalidus eſt. Covarruvias *in 4. Decret. p. 2. c. 6. n. 7.* & alij quos citat. *Ratio* eſt: quia, quando actus prohibetur ob indecentiam & turpitudinem in materia inventam, eáque cauſam habet perpetuam, ipſemet actûs valor juri naturæ inimicus eſt, & quidem in perpetuum Quocirca Matrimonium in primo conſangvinitatis gradu lineæ rectæ æquè invalidum ac illicitum Jure naturæ reputandum;

dum; turpitudo námque & indecentia, quæ tale commercium patris v. g. cum filia conſtituit illicitum, perpetuam habet cauſam.

33. Cæterùm; quando actus Jure naturæ prohibitus eſt ex alio motivo, ſolùm illicitè non verò invalidè ponitur. *Ratio*: quia ſuppoſitâ poteſtate agentis & capacitate materiæ, remotâ etiam turpitudine & indecentiâ; concurrunt omnia requiſita ad ſubſtantiam actûs, alio ex capite licèt prohibiti. Adeóque talis actus, ùt ùt prohibitus, & ideo illicitus, non tamen illicò eſt invalidus. Hinc Matrimonium validè contrahitur cum voto caſtitatis ſimplici: hoc enim non aufert, ſed ligat duntaxat poteſtatem in corpus proprium, potéſtque in Matrimonio poſt votum contracto honeſtus eſſe uſus, reddendo, non petendo debitum; Eapropter etiam 2da venditio poſt primam ſine traditione factam, unà cum traditione interpoſita valet, quia penes venditorem ante traditionem manſit dominium, adeóque abſoluta poteſtas iterum vendendi & transferendi. text. *in cap.* I. *de Sponſa duor.* & *in L.* 15. *C. de rei vind.* Ita fere Schmier *loc. cit.*

§. IV.

Utrum obligatio Juris naturalis mutari queat?

34. CArdo præſentis quæſtionis in eo non vertitur, poſsítne jus naturale permiſſivum aliquam recipere mutationem? hoc enim fieri poſſe ex jam dictis liquet; quia jus naturæ in hoc ſenſu nihil præcipit aut determinat abſolutè; ſed conditionatè ſe habet, donec à poteſtate publica & legislativa alia fiat diſpoſitio; quorſum provenit, quòd potuerit Jure humano introduci ſervitus, minui & adimi legitima; determinari ſucceſſio ab inteſtato, &c. hujusmodi enim actus non ſunt materia Juris naturalis præceptivi, ſed permiſſivi & negativi. Quæſtionis igitur ſumma circa jus naturæ præceptivum verſatur. Ante reſolutionem.

35. Noveris legem aliquam dupliciter poſſe mutari: propriè & impropriè; *Impropriè* mutatur, quando ei aliquid additur de novo, ſeu quando extenditur ad aliud lege non expreſſum, *propriè* mutatur, quando deſinit obligare, quæ ante obligabat. Nunc

36. RESOLVO I. Legem naturalem *impropriè* poſſe mutari per additionem, ſiquidem plura præcepta tam Divina, quàm humana legi naturali ſunt ſuperaddita. Cùm enim præcepta naturalia ſæpe ſint generalia, adjectæ ſunt leges particulares, quæ certis tempori-

bus

bus & perſonis accomodantur; ſic præceptum Juris naturæ eſt, DEUM eſſe colendum; modus verò illum colendi ſub indeterminatione relictus eſt; quamobrèm ille in lege veteri determinabatur per ſacrificia Moſaica, in nova verò per ſacrificium Miſſæ, &c.

37. RESOLVO II. Legem naturalem *propriè* loquendo eſſe immutabilem, ità ut obligatio illius nequeat tolli vel ab intrinſeco (quod contingit, quando lex per ſeipſam deficit, ùt quando ex utili redditur inutilis) vel ab extrinſeco, puta per abrogationem vel diſpenſationem ipſius legislatoris. ità quò ad rem ipſam plurimi, multi tamen in modo loquendi hallucinantur.

38. En rationes congeſtas 1. Lex naturalis nihil aliud eſt, quàm lex æterna illuceſcens nobis per dictamen rectæ rationis, verſatúrque circa principia aut per ſe nota, aut circa concluſiones, quæ ex illis neceſſariâ connexione conſequuntur: atqui illa principia mutari non poſſunt, ſicut nec concluſiones iſtæ: nam quidquid ſequitur ex principijs neceſſarijs & immutabilibus, hoc ipſum quoque neceſſarium eſt & immutabile. 2. Obligatio legis naturæ oritur ex ipſa rerum natura: hæc verò eſt immutabilis, ergo & illa. 3. Rectæ rationis dictamen eſt immutabile, ergo & lex naturalis, quæ per illam quadantenus publicatur. 4. *Fidelis DEUS ſcipſum negare non poteſt. 2. ad Timoth. 2. ℣. 13.* Atqui, ſi DEUS immutaret legem naturæ formaliter & propriè, ſeipſum negaret, negaret ſiquidem ſibi deberi cultum, amorem, venerationem, quin & affirmaret, ſe odio, averſione, & injuria dignum eſſe, hoc ipſo, quòd præcepta primæ tabulæ Decalogi, utpote prima naturæ principia tolleret; ſicut ergo ignis hìc & apud Antipodes pariter urit; ità lex naturæ, nunc & ſemper immutabilis eſt. Confer Zoës *ad ff. lib.* 1. *tit.* 1. *n.* 50. *& ſeqq.*

39. Ecce etiam objectiones conglobatas! *Non occides*, eſt præceptum legis naturæ, ſed hoc eſt immutatum, dum præcepit DEUS Abrahamo, ut occideret filium ſuum unigenitum. 2. Lex naturæ præcipit, ne furtum aut fornicationem committamus, ſed hæc eſt immutata, dum DEUS præcepit filijs Iſraël, ut aufferent mutuata Ægyptiorum vaſa, & dum Oſeæ præcepit, ut acciperet uxorem fornicariam. 3. Lex natutæ jubet aliena reſtitui, ſed hæc immutatur per humanam, dum ſancitur; ut qui certo tempote legibus definito rem alienam bonâ fide poſſidet, titulô præſcriptionis non obligetur illam reſtituere. 4. Matrimonium clandeſtinum Jure naturæ erat validum, quod tamen mutatum eſt per Concilium Trident: decer-

nens illud eſſe nullum; 5. Jure naturæ omnes ſunt liberi, & tamen Jure Gentium ſervitus eſt introducta. ergo.

40. Verùm hæc argumenta minimè convincunt jus naturæ in ſe eſſe mutabile, ſed ſolummodò alterari poſſe ſubſtratam legi naturali materiam, ob diverſas circumſtantias occurrentes, ita ut ſubtrahatur obligationi priſtinæ.

41. Ad 1. Itaque ℞. in facto Abrahæ legem naturæ nequaquam eſſe mutatam. Nam illa tantùm prohibet, ne quis occidat authoritate privatâ; Abraham verò authoritate DEI, vitæ, necíſque poteſtatem habentis, filium ſuum immolare volebat in ſalutaris obedientiæ meritum. Vide ergò, quòd variatâ circumſtantiâ authoritatis privatæ deſierit eſſe materia hujus præcepti: *non occides.* *Ad* 2. ℞. nec in facta Iſraëlitarum rapientium vaſa Ægyptiorum, neque in facto Oſeæ legem naturæ eſſe immutatam; ſiquidem lex naturalis prohibet tantùm auferri invito domino rem alienam, Iſraëlitæ verò acceperunt res Ægyptiorum DEO, rerum omnium abſoluto Domino, volente; proinde ablatâ circumſtantiâ inviti Domini; ablatio illa deſijt eſſe materia hujus legis: *non furtum facies.* Idem dicito de facto Oſeæ. Lex quippe naturalis prohibet duntaxat, accedere ad non ſuam, jam verò DEUS fornicariam mandatô ſuô fecit uxorem propriam Oſeæ; Itaque ablatâ circumſtautiâ *non ſuæ* deſijt fornicaria illa eſſe objectum fornicationis, & per conſequens eſſe materia hujus legis natutalis: *non mœchaberis.* *Ad* 3. ℞. in præſcriptionibus legem naturalem minimè variari, quandoquidem lex naturalis tantùm præcipiat ſua cuique reſtitui, quàm diu manet ſua; jam verò lex poſitiva juſtis ex cauſis facit ex ſuo non ſuum. Sublatâ itaque circumſtantiâ *ſuitatis* deſinit eſſe materia reſtitutionis & legis naturalis. Confer ea quæ diximus *ad Reg. 48. Juris Can. Locupletari non debet, &c. n. 5. & 6.* *Ad* 4: ℞. jus naturæ præceptivum eſſe immutabile non etiam jus naturæ permiſſivum, ad quod ſpectat valor Matrimonij clandeſtini, quia videl. lex naturalis illi non contradicit, nec prohibet illud; quamobrèm & omnes contractus mutuo conſenſu initi, eſto Jure permiſſivo ſint validi, equidem jus poſitivum ob juſtas cauſas v. g. ob defectum ſolennitatis requiſitæ voluit illos invalidare. Pariformiter ℞. *ad* 5. ex dictis ſuprà *n. 34.*

42. Ex his porrò ſua ſponte fluit, quòd, ſi materia Juris naturalis talis ſit, ut in omni circumſtantia retineat ſuam deformitatem, & inhoneſtatem, quòd inquam jus naturæ nullatenus, nequidem à DEO mutari

mutari poſſit. Unde odium DEI, blasphemia, mendacium in nulla hypotheſi licere poſſunt.

§, V.

Utrùm diſpenſatio vel Epikeia cadat in jus naturæ?

43. NE de terminorum intellectu, quàm re ipſa, magìs diſputemus; ſuppono aliud eſſe Epikeiam (ſeu ùt alij ajunt Epikiam) interpretationem, abrogationem, derogationem &.diſpenſationem. *Epikeia* ſiquidem eſt declaratio, quòd lex ſuperioris univerſaliter lata non obliget in aliquo caſu particulari, quatenus præſumitur, quòd ſi legislator præſtò eſſet, tali caſu legem non ferret. *Interpretatio* eſt alicujus verbi aut ſententiæ obſcuræ circa legem per aliud manifeſtatio, ità, ut Interpretatio *verba*, Epikeia *mentem* legislatoris reſpiciat. *Abrogatio* eſt totius legis abolitio. *Derogatio* tantùm alicujus partis; *Diſpenſatio* autem eſt relaxatio obligationis legis in particulari caſu aut perſona, permanente eadem materia, ac ijſdem circumſtantijs, objectivis, cum quibus ſeclusâ illâ relaxatione, lex ſubditos ad unum omnes obligaret. De diſpenſatione taliter ſumpta, prima hìc procedit quæſtio; Nam ſi circumſtantiæ varientur, non eſt propriè diſpenſatio, ùt liquet ex dictis *præced. §pho.*

44. DICO 1. Papa non poteſt diſpenſare in ijs, quæ ſunt de jure naturæ, eſt communis DD. *Ratio* peremptoria eſt: quia non poteſt inferior diſpenſare in lege ſuperioris, niſi id ſit ei ſpecialiter conceſſum: ſed nullibi legitur aut ſufficienter probatur, conceſſam eſſe à DEO ſummo Pontifici licentiam diſpenſandi in ijs, quæ ſunt de Jure naturæ. ergo.

45. Nec obſtat, quòd Matth. *16. ℣. 19.* Apoſtolorum vertici dictum fuerit: *quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.* Nam ſicut inde non evincitur, poſſe Divi Petri ſucceſſores diſpenſare in mendacio, perjurio, blasphemia, &c. tametſi Sacramentaliter ab hujusmodi delictis queant abſolvere; ità nec conſequenter inde rectè intuleris, diſpenſare poſſe in Jure naturæ.

46 Nunquid (AIS) ſummus Pontifex quotidie penè diſpenſat in voto, Matrimonio rato, reſidentia Epiſcoporum, &c, quæ omnia Jure naturæ obligant? ut miſſis ambagibus ſolidè procedamus.

47. OBSERVA. Duplicia eſſe præcepta legis naturæ; nempe aliqua, quæ ſuam habent originem ab humana voluntate, quorum proinde obligatio ſupponit humanum conſenſum; & hujusmodi ſunt,

ſunt, quæ verſantur circa pacta, conventiones, contractus item circa vota, juramenta; & hæc cùm pro materia proxima, imò & pro forma, ſub diverſo reſpectu, habeant conſenſum humanum; utique hoc ſublato deſinunt eſſe materia Juris naturæ. Omnis enim obligatio orta ex pacto, vel contractu habet annexam hanc tacitam, conditionem: niſi is, in cujus favorem inducta eſt obligatio, eandem remittat; hac porrò remiſsâ, illicò omne debitum inde ortum evaneſcit, eſto etiam promiſſio Juramento foret firmata. Jam verò; ſicut is, in cujus favorem fit promiſſio, illam poteſt condonare, cedendo Juri ſuo; ità quoque ejus ſuperior, cui ille vel pleno Jure ſubeſt; velut Religioſus ſuo Prælato, vel ſaltèm, cui materia promiſſa ſubjacet.

48. Unde facilè colliges, quomodò à Pontifice tollatur obligatio Juramenti vel voti. Quemadmodum enim Chriſtus Dominus tanquam caput morale omnium mortalium, poteſt talem obligationem condonare, ità quoque ejus Vicarius, dum nimirum ſubeſt juſta cauſa. Sinè hac enim relaxandi facultate in hoc procelloſo mari, Eccleſiæ navim moderari non poſſet. Idem dicito de Matrimonio rato, & Epiſcoporum reſidentia, de qua inſuper vide Trident. *Seſſ. 23. cap. 1. de Reformat.*

49. Alia verò ſunt præcepta Juris naturæ, quæ immediatè obligant in ſuis materijs; independenter ab omni conſenſu humano; cujusmodi ſunt. *DEUS eſt colendus. Parentes honorandi, &c.* & tametſi in utraque ſpecie præceptorum eadem ſit immutabilitas ſecundùm ſe, non eſt tamen ſemper eadem ex parte materiæ, ùt dictum.

50. DICES 1. Inde ſequeretur, Pontificem quòque poſſe tollere obligationem, & conſequenter inducere diſſolutionem Matrimonij conſummati contra illud Matth. *19. Quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet.* Probatur ſequela: quia quoque Matrimonium conſummatum conſtituitur humana voluntate. ℞. *Neg: ſequel.* Tum quia in Matrimonio conſummato arctiſſimum intercedit vinculum, nedum animorum ſed & corporum. Tum quia ſolutio Matrimonij conſummati, plurima poſt ſe mala traheret; nempe: proles natas aut planè deſeri à parentibus, aut malè educari. Tum denique, quia Pontificem tollere poſſe obligationem Matrimonij rati, habemus ex uſu & traditione; de conſummato non exſtat exemplum, ſed poſitiva DEI & Chriſti prohibitio.

51. DI-

51. DICES 2. Per votum & Juramentum homo obligatur DEO; ergo Pontifex non poteſt DEO auferre jus quæſitum. ℞. *Diſt. Ant.* homo obligatur DEO abſolutè, & in omni circumſtantia, N. reſpectivè, dependenter à ſuo conſenſu, ſublimiori poteſtati ſubdito C. Itaque, cùm difficultates circa votorum adimpletionem, ſint valde frequentes, & homines ad vovendum ſint proni, utique poteſtatem illa irritandi, obligationémque relaxandi exigebat pacificum in Pontifice, regimen Eccleſiæ.

52. DICO 2. DEUS diſpenſare non poteſt in lege naturæ. Eſt contra Franciſcum Henno. *Tract. de legib. q. 5. art. 2.* ubi concludit DEUM poſſe propriè diſpenſare in omnibus præceptis *ſecundæ tabulæ* Decalogi, excepto ſolo præcepto prohibente falſum teſtimonium. Sic inquit: DEUS diſpenſare poteſt, ut v. g. Princeps ſupremus [qui junctus eſt mulieri ſterili) poſſit ſemel aut iterùm puellæ copulari ad ſucceſſionem Regni, alias in hæreſin prolapſuri, aut in diviſiones tumultuoſas, ſcindendi. Item ut vir Eccleſiæ ſuæ ſummè neceſſarius poſſit ſemen ejicere mortem vitaturus. Verùm hæc opinio non tam eſt erronea, quàm caſtarum aurium offenſiva.

Indiſtinctè itaque probatur aſſertio noſtra; Diſpenſare, non eſt aliud, quàm concedere alicui, ut agat contra legem lege vigente & obligante, ſeu in illis circumſtantijs in quibus lex obligat: atqui DEUS nequit alicui concedere, ut agat contra legem naturæ, permanentibus ijſdem circumſtantijs, quibus illa obligat; tum quia quidquid fit contra legem naturæ quatenus talem, eſt intrinſecè malum, quod proinde nullo caſu poteſt fieri licitum. Tum quia lex naturalis eſt ipſa lex æterna DEI, per lumen rationis propalata. Tum denique, quia præcepta negativa obligant vel ſemper ſimpliciter, & in cunctis circumſtantijs, ùt: *non mentiri*,, *non pejerare*, *&c.* vel ſaltèm in certis circumſtantijs, ùt: *non occides.* Præcepta etiam affirmativa licet non obligent pro ſemper, obligant tamen ſemper; ergo pro illo tempore, & in iſtis circumſtantijs dum obligant, obligant ad id, quod eſt intrinſecè malum & disconveniens Regulis morum, vel intrinſecè bonum & concordans principijs naturalibus; proinde hæc præcepta ſunt indiſpenſabilia, niſi contendas DEUM & naturam deficere poſſe.

53. OPPONES 1. DEUS cum Patriarchis diſpenſavit in polygamia. ergo. ℞. *Neg. ſuppoſitum*, quòd polygamia perinde ac polyviratus rigorosè ſit contra jus naturæ. Licet enim, ut dictum ſupra, *n. 24.* plura-

pluralitas virorum ſub una muliere directè repugnet fini primario Matrimonij, non tamen pluralitas mulierum ſub uno viro, & quanquam etiam ùt plurimùm pax & tranquilitas familiæ conſervari nequeat, dum plures viro ſociantur uxores, non eſt tamen impoſſibile, nec indecens, DEO, ad multiplicandum genus humanum olim id in certis individuis permittente, quadantenus incurvari finem ſecundarium, quàm tolli finem primarium Matrimonij. Scio alios aliter reſpondere, ſed novi etiam illos ſe magìs im - quàm ex - plicare.

54. OPPONES 1. Lex naturæ prohibet viro dimittere uxorem & aliam ducere, in qua lege DEUS diſpenſavit, concedendo Judæis libellum repudij. Hìc rurſus variè reſpondent Doctores, ùt videre eſt apud noſtrum Auguſtinum Gibbon & P. Gonet *in tract. de Matrimonio.* Sed expeditius dico, DEUM non diſpensâſſe cum Judæis in ordine ad culpam, ſed permiſiſſe Divortium, ad majus malum evitandum. ita expreſsè D. Thomas. *3. p: q. 67. art.* 3. ubi enumeratis tribus modis, quibus aliquid permitti dicitur, ſubdit: *quartus eſt per privationem punitionis. & ſic libellus repudij in lege permiſſus fuit, non quidem propter aliquod majus bonum conſequendum, ſed propter majus malum cohibendum, ſcil: uxoricidium, &c.* Et hæc ſententia magìs eſt conformis Evangelio. *Matth.* enim *19.* expreſsè Chriſtus dicit, permiſſum fuiſſe Judæis libellum repudij *propter duritiam cordis eorum, ab initio autem ſic non* fuiſſe, duntaxat in lege naturæ. Quòd ſi autem contendas repudiantibus uxores, dimiſſam fuiſſe culpam, quod aſſerit etiam D. Thomas, *in cap. 19. Matth.* inquiens: *licèt repudium inordinatum quid eſſet, noluit tamen DEUS, quòd Judæis imputaretur ad culpam,* & rurſus: cit. *q. 67. art. 3. ad 4. quamvis duritia cordis non excuſaret à peccato, tamen permiſſio ex duritie facta excuſabat. Quædam enim prohibentur infirmis corporaliter, nec tamen infirmi peccant permiſſione ſibi factâ utentes.* Ecce! Problematicus in hoc paſſu eſt S Doctor. ℟. aliud eſt reatum culpæ Judæis ex cauſa repudij jam commiſſæ ijs condonatum fuiſſe (quod probabile eſt) aliud repudium ipſum non fuiſſe culpoſum pœnáque dignum.

55. Nonne (AIS) DEO aut Chriſto diſpenſante diſſolvitur Matrimonium etiam conſummatum, ſi unus conjugum infidelium convertatur ad fidem altero nolente converti, nec habitare cum converſo, aut nonniſi cum injuria Creatoris, & contumelia Salvatoris vel ſcandalo Chriſtianorum? quod manifeſtè colligitur *ex 1. Corinth. 7. ℣. 15.* & *ex cap. quanto* & *cap. gaudemus de devortijs.* ℟. Hoc Privilegium

egium à Chriſto recens converſo datum quidem eſſe in favorem fideli, non tamen priùs diſſolvi Matrimonium infidelium, quàm converſus reapſe & defacto pervenerit ad ſecundas nuptias, altero relicto nolente converti, aut pacificè cohabitare. Sed quid inde ſequitur? Sequitur (INQUIS) relaxari vinculum naturale conjugij, ac à Chriſto diſpenſatum fuiſſe in Jure naturæ. ℞. Nequaquam id inferri; nam Chriſtus per Apoſtolum *loc. cit.* duntaxat declaravit, concurrentibus duobus naturæ præceptis, quorum alterutrum in concurſu ſervari nequeat, illud præponderare quod eſt fortius, & pro tunc non obligare, ſed evaneſcere aliud minùs forte; atqui ſuppoſitâ fide in gentili aut Hebræo converſo, Juris naturalis eſt Chriſtum, non eſſe contumelijs aut convitijs afficiendum, Sacramenta non aſpernenda, non ſeſe conjiciendum in novum perverſionis periculum, &c. nec hoc præceptum fortiùs & potentiùs obligans, obſervari poteſt, ſtante conjugio & obligatione cohabitandi cum conjuge infideli, Salvatorem blasphemante, &c. Ceſſat ergo ſua ſponte lex conjugij prioris, ſi converſus ad novas nuptias tranſierit.

56. Diſpiciamus nunc an Epikeia habeat locum in Jure naturæ? Tametſi ſupra *n. 43.* declinare voluerimus diſputationem de nomine, in illam tamen inviti trahimur; Quidam enim ùt Dominus Neeſen *tract. 17. de LL. dub. 5.* Suarez *de LL. lib. 2. cap. 16. n. 6.* Epikeiam dicunt eſſe correctionem Legis in caſu aliquo particulari, in quo Lex ob ſuam generalem expreſſionem deficit à recto.

57. Si nobiſcum accipias Epikeiam, pro nuda legis declaratione, & mentis explantatione, certum eſt illam in jure naturæ admittendam fore; Tum quia naturalia præcepta quandoque diſcurſu indigent, ut ritè percipiantur & applicentur. Tum quia non omnia obligant ſemper abſolutè, ſed non raró conditionatè, poſitis nempe certis circumſtantijs. Tum quia præceptum v. g. de Homicidio vitando, de voto exſolvendo, depoſito reddendo, &c. ſuam recipit limitationem: ſi Homicidium publicâ authoritate vel in neceſſariam & inculpatam ſui defenſionem, fiat; ſi votum ſervatu non ſit poſſibile, ſi depoſitum à furioſo repetatur. Covarruv. *in 4. Decretal. p. 2. cap. 6. §. 9. & DD.* communiter.

58. Quòd ſi verò Epikeiam capiamus pro emendatione legis, quâ caſum lege comprehenſum ex benigna præſumptione à lege excipimus, veriùs eſt hanc jus naturæ non admittere, quidquid dicant Felinus *in cap. quæ in Eccleſiarum. de Conſtit. n. 26.* Cajetanus, Soto &

C alij.

alij. *Ratio:* quia jus naturæ, cum in recta ratione fundatum, atque à lege DEI æterna diſtinctum non ſit; non poteſt in ullo caſu particulari deficere, ergo nec in ullo caſu per Epikeiam emendari. *Prob. Ant.* DEUS & natura non deficiunt in ſua providentia, ergo nec jus naturæ deficit, utpote ex DEI, naturæ naturantis ſingulari providentia conſtitutum. Dein; Jus naturæ præcipit, & prohibet, quæ decentiam habent connatam & intrinſecam; atqui fieri nequit, ut, quæ ex connata indole ſunt decentia, evadant indecentia, & viciſſim; ergo nec fieri poteſt, ut jus naturæ in aliquo caſu deficiat, aut per Epikeiam queat emendari.

59, Non apparet (AIS) cur lex naturalis perinde non poſſit recipere Epikeiam ac lex poſitiva. Sicut enim in hac occurrere poſſunt circumſtantiæ, in quibus prudenter præſumi poteſt, Legislatorem hunc in individuo vel in hoc caſu ſpecifico obligare; ità quoque in lege naturali ſimiles emergere queunt circumſtanriæ. Sic mutilatio proprij corporis, non cenſetur cadere ſub prohibitionem legis naturalis in illa circumſtantia, qua ſupponitur eſſe neceſſaria ad conſervationem totius individui, plura exempla paſſim poſuimus: ℞. *Neg. Aſſumpt.* Nam jus naturæ, cùm unum & univerſale ſit in omnibus ad unum hominibus, unam eandémque perpetuò obligationem parit, non ex intentione ſolius legislatoris, ſed quaſi ex neceſſitate naturæ & exigentia materiæ, proinde prudenter in ullo caſu præſumi nequit, quòd non obliget. Jam verò lex poſitiva vim & energiam ſuam nanciſcitur ex ſola voluntate legislatoris, qui quidem, ſi humanus eſt, nequit omnes omnino caſus circumſtantiáſque in ſanctione legis prævidere. Mirum igitur non eſt, quòd deficiente legislatoris intentione, lex vigorem amittat. Porrò ſuppoſitum eſt falſum in exemplo de mutilatione, quæ ſolùm Jure naturæ prohibita, dum propria corpori noxia eſt, quod non contingit, dum ad individui incolumitatem ordinatur, quin recta ratio dictat, ſatiùs eſſe pedem, quàm vitam amittere. Vide D. Neeſen. *loc. cit.* Pro coronide hujus Materiæ.

60. Quæres. Quoſnam obliget lex naturalis? Quòd quivis homo viator teneatur legi naturali obedire, nec bruta huic obſtringantur, liquet ex dictis *n. 1. & 2. & 3.* Inſuper ℞. 1. DEUS non obligatur lege naturali. *Ratio:* Quia lex tantùm reſpicit illos, qui poſſunt à recta via, quæ ad ultimum finem ducit, deflectere, quod de DEO eſſentialiter indefectibili dici nequit; ℞. 2. Angeli (idem eſto

ieſto de hominibus Beatis) ſubduntur legi naturæ. *Ratio*: Quia licet moraliter loquendo non poſſint peccare propter ſpecialem aſſiſtentiam & claram viſionem ſummi Boni, poſſunt tamen Phyſicè loquendo, cùm ſint ab intrinſeco & ex natura ſua peccabiles, utpote habentes eandem naturam jam beati, qaum habebant dum erant viatores.

SECTIO SECUNDA.

De

Jure Divino.

1. Hìc nobis eſt ſermo de Jure Divino poſitivo, quod videlicet ex libera DEI voluntate in ordine ad finem ſupernaturalem hominis poſitum eſt, & hoc dividitur in jus veteris & novi Teſtamenti, ſeu in legem Moſaicam & Evangelicam.

§. PRIMUS.

Quid ſit jus Divinum veteris Teſtamenti?

2. ℟. NOn incongruè deſcribitur, quòd ſit libera ordinatio Divinæ ſapientiæ populo Hebræo miniſtrantibus Angelis per Moyſen promulgata, præcipiens ea, quæ ad finem ſupernaturalem per merita Chriſti venturi conſequendum ſunt idonea & prohibens contraria. Unde

3. RESULTAT. 1. Diſcrimen inter jus naturale & Divinum poſitivum; illud enim ex neceſſitate naturæ; hoc ex libera DEI voluntate profectum eſt.

4. RESULTAT 2. Omnium præceptorum in veteri Teſtamento contentorum authorem & conditorem eſſe DEUM; ídque contra Marcioniſtas Hæreticos, qui veteris legis auſpicium Diabolo adſcribebant, itidem contra Salmeronem Catholicum qui *diſp. 61. & 62. in Acta Apoſtolorum* afferit Moyſen, & non DEUM eſſe præceptorum Ceremonialium & judicialium Authorem. Hujus opinionis etiam fuerunt Beda & Hugo Cardinalis, volentes ex præceptis in Exodo, Levitico. Numeris & Devteronomio contentis, quædam eſſe à Moyſe, ceu vero legislatore. Nec juvat iſtam opinionem illud *Joan. 1. ℣. 17. lex per Moyſen data eſt.* Aliud enim eſt dare ſeu communicare, aliud eſt facere ſeu condere. Pro noſtra verò ſententia facit illud *Exod. 20.*

ſpirit. & lit. cap. 19. Lex data eſt, ut gratia quæreretur, gratia data eſt, ut lex adimpleretur. Erat imperfecta abſolutè loquendo N. Collatio enim uberioris gratiæ, quam figurabat non ipſi debebatur ſed legi Evangelicæ reſervabatur. Nec obeſt; quòd idem Apoſtolus *ad Hebræ. 8.* dicat legem veterem non vacâſſe culpâ. Non enim vult, legem in ſe ipſa fuiſſe vitioſam, ſed cùm tam promptam & potentem non daret virtutem ad purganda delicta, homines ſæpe in culpis reliquiſſe. Nec obeſt etiam, quòd *ſine lege peccatum fuerit mortuam - - - ſed cùm peccatum veniſſet, revixerit ad Rom. 7. ℣. 8. Lex iram operetur.* ibid. *cap. 5. ℣. 15.* item dicatur lex ſubintrâſſe, *ut abundaret delictum.* ibid. *cap. 4. ℣. 10.* Inde enim non ſequitur, legem fuiſſe nocivam *effectivè*, quia nec iram, nec peccatum, nec mortem, aut concupiſcentiam cauſavit; ſed ſolùm *conſecutivè* & *occaſionaliter*, quatenus homines datâ lege graviùs & ſæpiùs peccaverunt, nitimur enim in vetitum, & ardentiùs homo prohibita quàm licita concupiſcit. Neque obſtat illud *Iſaiæ 1. ℣. 11. Quo mihi multitudo victimarum veſtrarum? plenus ſum - - - - incenſum abominabile eſt mihi.* nec illud *Pſal. 39. ℣. 7. Sacrificium & oblationem noluiſti.* Reprehendit enim ibi DEUS non ſacrificia, ſed ſacrificatores in ſtatu peccati offerentes. Lex vetus (AIS) erat ſervatu impoſſibilis, cùm dicat Apoſtolorum Princeps *Act. 15. ℣. 10. Quid tentatis imponere jugum ſuper cervicem Diſcipulorum, quod neque nos neque Patres noſtri portare potuimus?* ergo, &c. ℞. Apoſtolum ſolùm voluiſſe inſinuare *difficultatem*, quia præcepta exſtabant multa, gratia parca, pœnæ atroces, non *impoſſibilitatem*; cùm dicat DEUS Devteron. *30. ℣. 11. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te:* Quocirca, licèt lex non daret gratiam ex proprijs, ſed Chriſti venturi meritis, non deerat tamen gratia ad implendam legem ſufficiens, cùm multi illam de facto adimpleverint.

11. Porrò Legem veterem reſpectivè ad Evangelicam fuiſſe imperfectam, ſeu potiùs minùs perfectam. Liquet ex utriusque comparatione. Nam *1mò* licet utraque habeat DEUM authorem, vetus tamen habuit promulgatorem Moyſen, nova Chriſtum DEUM-hominem. *Lex per Moyſen data eſt; gratia & veritas per JESUM Chriſtum. Joan. 1. ℣. 17.* *2dò* Lex nova lata eſt pro univerſo genere humano. *Euntes docete omnes gentes Matth. 28.* Vetus autem ſolis Judæis data eſt, ùt patet ex *Levit. Exodo & Devteron*; unde gentiles præceptis moralibus obſtricti erant, quatenus ex Jure naturæ deſcendebant, non quatenus erant legis Moſaicæ. *3tiò* Lex nova lata eſt in perpetuum,

ſeu

ſeu uſque ad conſummationem ſæculi, proinde, ùt Apoſt. ait: *ſempiternum habet ſacerdotium*; vetus autem ad tempus; donec per Chriſtum abrogaretur. *4tò* Lex nova continet cornucopiam gratiarum, quæ à Chriſto tanquam fonte, per paſſionem & Sacramenta, ceu per rivulos in nos dimanant, Lex verò vetus ex conditione ſui ſtatûs gratiam non habebat, ſed illam per fidem in Chriſtum, ex lege nova veluti mendicabat. *5tò* Lex nova cœlum aperit, non vetus. *6tò* Lex vetus fuit umbra & figura novæ, nova autem veteris perfectio & complementum. *7mò* Lex vetus in timore, tonitru ſcil: & fulgure lata eſt, nova verò cum ſignis amoris, flammis nempe ſeu linguis igneis. Illa pœnarum temporalium minis ad ſui obſervantiam cogebat, hæc amore & ſvavitate; illa ſervis, hæc filijs data eſt; illius jugum durum & penè inſupportabile, hujus ſvave & leve; Unde D. P. Aug. *Serm. 24. de verbis Apoſt. hæc Sarcina* (inquit) *non eſt pondus onerati ſed alæ volaturi.*

§. III.

Quandonam lex vetus exſpiraverit?

12. FIde certum tenemus legem Moſaicam deſijſſe & abrogatam eſſe. *Abſit* (inquit Innocent. IV. *cap. Majores de Baptiſmo*) *ut in illam damnatam hæreſim* (ſcil: Ebionis & Cherinthi) *incidamus, quæ perperam affirmat, legem cum Evangelio & circumciſionem cum Baptismo, ſervandam.*

Nec *contra facit*, quòd Chriſtus non venerit legem ſolvere, ſed adimplere; non enim venit ſolvere, id eſt violare pro tempore, quo in ſuo ſtabat vigore, venit tamen eam lapſu temporis conſummatam, & adimpletam, abrogatum. Neque *juvat*, quòd lex vetus in Scripturis dicatur *Teſtamentum, fœdus, pactum ſempiternum.* Sicut enim in jure actiones vocamus perpetuas, quæ triginta ſolùm durant annis, ità ſempiternum id interdum in Scripturis dicitur, quod longiſſimo tempore duraturum eſt. Sic *Genes. 13.* promittitur Abrahæ & ſemini ejus terra Chanaan in ſempiternum, licèt eam jam dudum amiſerint.

13. Et hinc habes, Præcepta Decalogi, jam non amplius obligare, quatenus ſunt præcepta legis Moſaicæ, ſed quatenus ſunt præcepta legis naturæ, quæ inſtaurata fuêre à Chriſto. Pro reſolutione propoſitæ quæſtionis.

14. DI-

14. DICO 1. Lex Moſaica non exſpiravit, antequam exſpiraret Chriſtus. ità communiter Theologi, *Ratio*: Tum quia Chriſtus ad mortem uſque illam legem ſtudiosè obſervavit & ſæpiùs ſervari mandavit. Tum quia antiqua lex nudas & ſimplices Myſteriorum novæ legis figuras continebat, non fuit autem conſummata illorum Myſteriorum veritas, antequam Chriſtus moriens exclamaret: *Conſummatum eſt.* ergo. Quòd ſi autem quædam præcepta Cæremonialia, ùt v. g. quæ Chriſti nativitatem, miracula & doctrinam præfigurabant, ante ejus mortem fuerint impleta, illa quidem non debebant obſervari tanquam ſigna futurorum, ſed ſimpliciter tanquam figuræ Chriſti. Nec obeſt, quòd *Luc. 16. ℣. 16.* dicatur: *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem* Quia non eſt ſenſus, quòd lex tantùm duraverit uſque ad Joannem, ſed, quòd lex & Prophetiæ de Meſſia venturo verificatæ fuerint, tempore Joannis, qui ipſum præſentem demonſtravit, ut prophetare ampliùs non fuerit opus.

15. OPPONES. Baſis obligationis legis Moſaicæ, nempe circumciſio; Baptiſmô inſtitutô mox ceſſavit. ergo ante Chriſti mortem deſijt lex vetus. ℟. Ceſſavit *abſolutè* N. ceſſavit obligare *ſubdiſt.* tanquam aliquid *neceſſarium neceſſitate medij* C. *neceſſitate præcepti* N. obligabat igitur, in quantùm erat ſignum diſtinctivem eorum, qui legem illam profitebantur; non verò obligabat neceſſariò, tanquam unicum remedium extinctivum peccati originalis, quia poterat deleri per Baptiſmum, qui pro tunc erat ſub conſilio, non præcepto, ità ut liberum fuerit ad deletionem originalis, uti Baptiſmo vel circumciſione.

16. Altior eſt quæſtio, an ſicut lex vetus ceſſavit in morte Chriſti, quò ad ſuam neceſſitatem & obligationem, ità quoque exſpiraverit, quò ad utilitatem & efficaciam? pro reſolutione.

17. DICO 2. Nec lex vetus illicò exſpiravit (quòad utilitatem & efficaciam) Chriſto exſpirante, ſed Jeroſolymis in die Pentecoſtes, & alibi ſucceſſivè, poſt ſufficientem duntaxat novæ legis promulgationem. Hæc ſententia utut contra plures, eſt tamen probabilior, & non obſcurè inſinuatur à Tridentino *Seſſ. 6. cap. 4.* ubi docet *juſtificationem poſt promulgatum Evangelium, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto. fieri non poſſe.* Proinde ſupponit haberi potuiſſe ante Evangelij promulgationem, ſeu in morte Chriſti, ſine Baptiſmo per circumciſionem. *Ratio* eſt: quia lex non obligat, niſi ratione promulgationis præceptivæ, ſed in morte Chriſti, nulla talis interceſſit promul-

mulgatio novæ legis. Ergo lex vetus, eô ipsô non fuit formaliter abrogata, quò ad *utilitatem*. Ad hæc: durum eſt credere DEUM ſummè bonum, ſummè miſericordem, pueros aliquando reliquiſſe ſinè remedio peccati originalis, ſed hoc feciſſet, ſi lex Moſaica in morte Chriſti penitus exſpirâſſet, non enim valuiſſet ipſis circumciſio, utpote abrogata, nec Baptiſmus juvare potuiſſet, utpote incognitus.

18. Ad quid (AIS) Chriſtus exclamavit: *conſummatum eſt*, ſi lex vetus vim ſuam retinuerit? ℞. illud *conſummatum* intelligi de ijs, quæ ſcripta ſunt de Filio hominis juxta illud *Luc. 18. ℣. 13. Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis.* aut ſi velis intelligi de lege veteri. ℞. in morte Chriſti eam abrogatam fuiſſe *cauſaliter* non *formaliter*. *Cauſaliter* abrogatur lex poſitiva, ſolâ voluntate contraria legislatoris, *formaliter* verò accedente inſuper promulgatione præceptivâ; hinc ſi

19. DICAS. *Translatiô Sacerdotiô, neceſſe eſt, ut & legis translatio fiat; ad Hebræ. 7. ℣. 12.* Atqui dum Chriſtus per mortem in Ara crucis ſeipſum novi Teſtamenti hoſtiam obtulit, deſijt Sacerdotium antiquum. ergo. ℞. *Diſt. mi.* deſijt ſacerdotium antiquum *radicaliter, cauſaliter; inchoativè* & *in actu primo* C. quia tunc *radicaliter, inchoativè* & *meritoriè* cœpit lex Evangelica, in quantùm mors Chriſti confirmavit legem illam poſtea promulgandam. Deſijt *formaliter* & *completè* N. Nam lex antiqua cum ſuo Sacerdotio completè deſijt, quando nova completè cœpit, ſcil: poſitâ ſufficienti promulgatione; hinc facile intelliges D. P. Auguſtinum dicentem: *Velum templi ſcinditur, quia Synagoga honore nudatur, obſervatio antiqua diſſolvitur.*

20. INQUIES. Lex Evangelica fuit ab ipſo Chriſto Apoſtolis publicata ipſomet Reſurrectionis die, quando ijſdem dixit: *Euntes docete omnes gentes, &c.* ergo ſaltem tunc plenè obligavit, & proinde vetus vim amiſit. ℞. *diſt. ant.* fuit publicata *ſolenniter* & *publicè* N. quia ante diem Pentecoſtes Apoſtoli non prædicaverunt publicè, juxta illud Chriſti *Luc. 24. ℣. 49. Vos autem ſedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto. privatim* & *particulariter*, vel potius intimata & declarata Apoſtolis, à quibus erat ſuo tempore promulganda C. ſed eſt *ſuppoſitum*, quòd hujusmodi publicatio ad legis obligationem inducendam ſufficiat.

21. URGEBIS Licet lex humana dependeat à promulgatione, ut obliget, non tamen Divina, quia Legislator divinus, qualis erat Chriſtus DEI Filius, non habet poteſtatem ſuam à ſubditis, ſicut hu-

manus ſaltem Civilis. ergo. ℟. Lex Divina non dependet à promulgatione, tanquam à conditione quaſi intrinſeca C. extrinſeca N. non ergo lex Divina neceſſariò connotat ſeu reſpicit promulgationem, ut ab illa robur & vim obligandi hauriat, ſed quia aliunde neceſsùm eſt, legem utpote Regulam faciendorum ſic manifeſtari, ut poſſit pervenire ad notitiam ſubditorum, qui non poſſunt niſi nota exequi.

22. INSTAB. Cum Authore Clypei Thomiſtici *Tract. de Baptism.* Ante Pentecoſten quidem non fuit ſufficienter promulgatum præceptum Baptiſmi; ſufficientiâ ad tollendam ejus ignorantiam, bene tamen ſufficientiâ ad rationem legis; tunc enim præceptum ſuperioris incipit habere vim legis potentis obligare ſubditos, quando Superior illud exteriùs per modum imperij proponit tanquam Princeps aut publica perſona: Chriſtus autem in ipſa die Reſurrectionis præceptum Baptiſmi ita propoſuit: *Euntes docete omnes gentes, &c.* ergo ℟. *N. Ant.* Lex enim à ligando dicta, nec nomen aut omen mereretur, niſi obliget, non obligat autem, niſi ſcientes aut ſcire valentes; ergo promulgatio, quæ non ſufficit ad tollendam ignorantiam; non ſufficit ad rationem legis. Vana proinde eſt Authoris diſtinctio. Porrò aliud eſt poſſe obligare, aliud obligare in actu ſecundo.

23. OBSISTES. Quidquid ſit D. Thomas *1. 2. q. 103. art. 3. ad 2.* contrarium docet, ait enim ibi: *Myſterium redemptionis humani generis completum fuit in paſſione Chriſti. Unde tunc Dominus dixit: Conſummatum eſt, & ideo tunc* NB. TOTALITER *debuerunt ceſſare legalia quaſi jam veritate eorum conſummata.* ℟. Legalia ceſsâſſe quò ad neceſſitatem præcepti non verò quò ad utilitatem conſilij.

24. DICES. Hinc ſequeretur, quòd toto tempore, quod interceſſit à morte Chriſti uſque ad Pentecoſten, nulla fuerit lex obligans. ℟. N. *illatum* quia & tunc ſupererat lex naturæ ſemper obligans.

25. Ad quid (AIS) Legalia in morte Chriſti erant utilia, cùm non juſtificaverint teſte Magno P. Auguſtino loc. mox citando, ſed fuerint mortua ℟. Legalia non juſtificâſſe tunc, velut media unicè neceſſaria, juſtificâſſe tamen, ceu media tolerata & permiſſa, uſque ad ſufficientem Evangelij promulgationem, dicuntur autem legalia in morte Chriſti fuiſſe mortua, quia erant *morbida*, & brevi penitus interitura *completè*, & in quantum pari non obligabant neceſſitate ſicut ante. Ex his porrò

26. DEDUCES 1. Juxta D. P. Aug. *Epiſt. 11. & 19. ad Hieronymum:* tria diſtingvi poſſe tempora reſpectu Legalium, ſcil: unum ante paſſionem; in quo legalia non erant mortifera nec mortua. Alterum poſt Evangelij divulgationem, in quo legalia erant mortua & mortifera, & tertium quaſi medium à paſſione Chriſti, uſque ad Evangelij promulgationem, in quo legalia erant quidem mortua, quatenus nemo ea ſervare tenebatur, non erant, tamen mortifera: ſed illi, qui converſi fuerant ad Chriſtum ex Judæis, poterant ea licitè obſervare, dummodo non ſic in eis ſpem ponerent, ut ea reputarent ſibi neceſſaria; Itaque licitum erat hoc tempore intermedio obſervare legalia ſub ratione cultûs Moſaici, non quidem cum intentione ſignificandi Chriſtum venturum ſed tantùm ad proteſtandam Divinam excellentiam, noſtrámque ſubjectionem. Et ſuper hoc puncto celebris olim fuit controverſia inter D. P. Auguſtinum, & S. Hieronymum, hoc ſimpliciter affirmante, fuiſſe mortifera à morte & reſurrectione Salvatoris; illo verò Scripturarum ſuffragijs contendente, exinde fuiſſe quidem mortua *cauſaliter* ſcil: ſed nullatenus mortifera; uſque ad tempus ſufficienter promulgati Evangelij, quæ Auguſtini ſententia communem meruit Doctorum calculum.

27. DEDUCES 2. Ex D. P. Auguſtino & S. Thoma, quòd ſicut homines mortuos ſervari aliquamdiu ante ſepulturam contingit; ita Legalia, quæ ùt *viva*, hoc eſt in priori pretio neceſſitatis ſervari non poterant, poſt Chriſti mortem, ſaltem ùt *mortua*, hoc eſt: permiſſa & licita uſque ad Evangelij publicationem ſervata ſint, ut cum honore mortua mater Synagoga ſepeliretur, & ne homines exiſtimarent, ſi ea protinus rejeciſſent Apoſtoli; veterem legem fuiſſe abominabilem, perinde ac cultum Idolorum, quem nullâ unquam morâ ſuſtinere voluerunt Chriſtianæ fidei Præcones. D. Petrus autem idcircò circà legalium obſervantiam à D. Paulo repræhenſibilis dictus eſt, quòd nimis adhæſerit parti Judæorum, & circa hoc plùs quàm oportebat ſollicitum ſe exhibuerit.

§. IV.

Quid ſit jus novum & quænam contineat præcepta?

28. DAri defacto jus novum ſeu legem Evangelicam definitum eſt à Concilio Trident. *Seſſ. 6. Can. 21.* ibi: *Si quis dixerit, Chriſtum JESUM à DEO hominibus datum fuiſſe, ut Redemptorem, cui credant, & non etiam ùt Legislatorem cui obediant; Anathema ſit.* Idque contra Lu-

therum,

therum, Calvinum, Herbrandum & alios ſimilis fœcis Sectarios, volentes Evangelium conſolationem quidem annuntiare, gratiam & gloriam promittere, ſed ad nullam legem adſtringere, niſi ad fidem, quaſi Chriſtus à lege veteri nos liberaverit, ſed novam non inſtituerit. Sed hæc inſania ſanè S. Scripturâ refutatur. Iſaiæ *2. ℣. 3. docebit* (duntaxat Meſſias) *vos vias ſuas & ambulabimus in ſemitis ejus, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem. Factores legis juſtificabuntur. Ad Rom. 2. ℣.* 13. & paſſim alibi; Nec OBEST quòd *ad Rom. 6. ℣.* 14. dicatur: *non eſtis ſub lege ſed ſub gratia.* Senſus enim eſt, nos non eſſe ſub jugo gravi legis Moſaicæ, ſed ſub ſvavi moderamine legis Chriſti ſeu gratiæ. Quando etiam 1. *Timoth. 1. ℣. 9.* dicitur: *Lex juſto poſita non eſt.* Nolim putes, juſtos lege non obligari; ſed ſenſus eſt; juſtos eò ipſo, quòd juſti ſint, legem non violare; quin ſi nulla exſtaret lex, equidem facturos quæ recta poſcit ratio.

29. Cæterùm jus novum appoſitè deſcribitur: quòd ſit libera ordinatio Divinæ ſapientiæ, per Verbum Incarnatum intimata, in die Pentecoſtes promulgata, ac per Apoſtolos univerſo mundo prædicata, præcipiens ea, quæ pertinent ad ſtatum gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro ac prohibens contraria. Confer Franciſ. Schmier *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 3. *ſect.* 1. §. 1. Sed quænam jus novum continet præcepta?

30. DICO. In lege nova, ultra conſilia continentur præcepta Sacramentalia, fidei & moralia. De præceptis Sacramentalibus conſtat *ex Joan. 3. ℣. 3. Niſi quis renatus fuerit, &c. niſi manducaveritis carnem filij hominis, &c. Joan. 6. ℣. 53.* De præceptis fidei: *Joan. 8. ℣. 24. ſi non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro. Qui non crediderit condemnabitur. Marci* 16. ℣. 16. De præceptis denique Moralibus *Matth.* 19. ℣. 17. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Quibus verbis innovavit Chriſtus Decalogi præcepta, quæ inſuper frequenti ſermone ſigillatius explicuit; parabolis, & exemplis illuſtravit. Si

31. PETAS. Undenam colligi poſſit, an hic vel iſte articulus ſit Juris Divini novi? ℞. hoc colligi vel ex ipſis Scripturis novi Teſtamenti, quando hæc vel ſimilia reperiuntur: *Dominus ordinavit, non ego dico, ſed Dominus. Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis, &c.* vel ex traditione Eccleſiæ, *ſunt & alia multa* (inquit Evangeliſtarum Aquila *cap. ult.*) *quæ fecit JESUS, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Proinde ſi

con-

continua Eccleſiæ traditio, per SS. Canones, Concilia & Patres firmata, quidpiam pro lege Divina ſuſceperit, id fide tenendum; dicente Apoſtolo *2. ad Teſſalonic. 2. ℣. 14. Itaque Fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Unde Hypponenſium Præſul *non crederem* (inquit) *Evangelio niſi Eccleſiæ me commoveret authoritas.*

32. DIXI ſupra: *ultra conſilia*, quæ docente D. Thoma 1. 2. *q.* 108. *art. 4.* ad hæc tria præcipuè revocantur: ad caſtitatem perpetuam, voluntariam paupertatem & obedientiam integram, ex quibus ſtatus Religioſorum potiſſimùm conſtat.

§. V.

An in legem Evangelicam cadere poſſit diſpenſatio vel Epikeia.

33. SUPPONO DEUM ex hypotheſi, quòd legem Evangelicam tulerit uſque ad finem mundi duraturam, ùt revera tulit juxta *Matth. 24. ℣.* 14. & *28. ℣. ult.* non poſſe eam abrogare, quia mutaretur; poſſe equidem *abſolutè* loquendo. *Ratio*: quia per quaſcunque cauſas res naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. Nec ſanè DEUS minorem habet poteſtatem in legem novam, quàm in veterem; hanc autem abrogavit, ergo & poteſt illam, cùm utraque ſit Divina poſitiva. Quæſtio igitur eſt de poteſtate humana, qua in re ſunt quidam ita extollentes S. Pontificis poteſtatem, ut velint eundem quòad unum vel alterum caſum particularem ex cauſa rationabili & prægnante diſpenſare poſſe; Inter hos numerantur Panormitanus *in cap. propoſuet 4. de conceſſ. Præbend. n. 2.* Felinus *in cap. quæ in Eccleſiarum 7. de conſtit. n.* 19. & ſeqq. Decius ad *idem cap. n. 25.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. Diſp. 6. n. 5. & 6.* alijque ab his allegati. Sed neſcio quâ fronte, quâ ratione, quô fundamentô. Ubinam amabò hæc poteſtas legitur conceſſa homini?

34. DICES. *Matth.* 16. *℣.* 19. abſoluta & illimitata poteſtas ſummo Pontifici conceditur: *Quodcunque ſolveris ſuper terram, &c.* ℞. Mirum, quòd pari paſſu non aſſeras Pontifici poteſtatem in Jure naturæ diſpenſandi, ſi indefinitâ abſolvendi polleat poteſtate? ſaltèm faciliùs inde arguere poſſes, totam legis Evangelicæ ſummam Pontificia poteſtate ſubverti poſſe, quòd nemo hactenus dicere auſus eſt; cum grano ſalis igitur cape illud *quodcunque*, duntaxat in materia propria Pontifici ſubjecta, propria verò materia non ſunt Conſtitu-

tiones & ordinationes Divinæ, ſed actiones hominum voluntariæ, circa quas tam ampla poteſtate gaudet S. Pontifex, ut earum obligationes non tantùm in foro fori, ſed & Poli aut ligare aut ſolvere queat. vide quæ ſupra dicta. *ſect. 1. §. 4.*

35. Accedit, quòd ipſimet Eccleſiæ Pontifices hanc ſibi negârint competere poteſtatem; Nam Urbanus Papa in *Can ſunt quidam 6. XXV. q. 1.* ſic effatur: *Ubi apertè Dominus vel ejus Apoſtoli & eos ſequentes ſancti Patres, ſententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius quod prædicatum eſt, uſque ad animam & ſanguinem confirmare debet, ſi enim, quod docuerunt Apoſtoli & Prophetæ, deſtruere (quod abſit) niteretur, non ſententiam dare, ſed magìs errare convinceretur.* Zoſimus quoque Papa *Can. contra 7. ead. cauſ.* humiliter & ſanctè id ipſum falſus eſt. *Contra ſtatuta* (inquit) *Patrum* (ſubaudi, quæ jus Divinum declarant) *condere aliquid, nec hujus quidem Sedis poteſt authoritas.* Idem fatentur Marcellinus & Hormisda Pontifices *Can. 8. & 9. cauſ. cit.*

36. REPLICABIS nihilominus. Epiſcopus licet Pontifice inferior, poteſt ex cauſa rationabili & urgente, quando recurſus ad ſummum Pontificem eſt difficilis aut impoſſibilis, in lege Pontificia diſpenſare. ergo ex ſimili capite poterit diſpenſare Pontifex in lege Divina. ℞. *N. conſeq.* aut potiùs *ſuppoſitum*, quia urgens & rationabilis cauſa ſubeſſe nequit. DEUS quippe, qui non tantùm eventus futuros ſuâ præſcientiâ comprehendit, ſed ipſemet futurorum contingentium author eſt, ad omnes omnino caſus, leges ſuas poſitivas perinde ac naturales extendit. Aliud eſt in lege merè Pontificia. Confer Covarruv. *in 4. Decretal. p. 2. cap. 6. §. 9. n. 4.* Barbos. *jur. Eccl. univ. cap. 2. n.* 119.

37. Sed quid de Epikeia? De ea pariformiter hìc ſentiendum, ſicut ſupra *ſect. 1. §. 5. n. 56. & ſeqq.* Proinde ſi illam libet accipere pro interpretatione Authentica Juris Divini, nemo ibit inficias hanc ad Officium ſummi Pontificis ſpectare. *Ratio* eſt; quia DEUS, cujus jugum ſvave & onus leve, non cenſetur nos velle obligare ad moraliter impoſſibile; ergo ubi occurrit gravis admodùm difficultas in legis obſervatione, credere poſſumus, & interpretari poteſt Pontifex, DEUM nolle nos ſtante tali difficultate obligare. Sic Machabæi, cùm viderent quàm plurimos Judæos fuiſſe ab hoſtibus Sabbatho trucidatos, eò quòd tali die per legem Sacro, non fuerant reluctati hoſtibus; interpretati ſunt, legem de ſervando Sabbatho, non obligare

are in tali caſu. Sic & interpretamur doctrinaliter legem de Confeſſionis integritate non obligare in caſu, quo inde contingeret vel pœnitenti vel Confeſſario vel tertiæ perſonæ damnum notabile in ponis vitæ, famæ, aut fortunæ, ùt docet noſter Girken & DD. communiter *in tract. de pœnitentia.*

SECTIO TERTIA.

DE

Jure Humano generatim.

1. JUs vocitatur humanum, quod ab homine pro hominibus conſtitutum, ex duplici quidem fine; aut ut creaturæ rationales ad vitæ futuræ felicitatem perducantur, aut in pace & concordia temporali conſerventur. Undè conſurgit duplex jus, Canonicum nempe & Civile. Confer Zoës *in Præfat. ad jus Canon. n. 2. & 3.* Hac ſectione generaliùs de Jure humano, & penè mixtim de ſacris & profanis legibus differemus, limatiùs ſingulas ſpecies poſtea conſideraturi.

§. PRIMUS.

Quid ſit lex humana?

2. TAmetſi jus naturæ ſufficiat, ut hominem ritè dirigat per præcepta communia rerum faciendarum, non ità tamen ſufficiens eſt, ut homo bene dirigatur in ſingulis, quæ hîc & nunc agenda ſunt pro diverſis, loci, temporis, ac facti circumſtantijs, hanc itaque effuſam Juris naturæ Theſin, ad hypotheſes revocat jus humanum, negotijs ſingulis accommodatis præſcribendo leges. Quid autem eſt lex?

3. Si legem conſideres, prout eſt in ſubdito; non eſt aliud, quàm dictamen rationis practicæ, quo ipſe judicat hanc vel illam regulam ſibi ab homine legislatore præſcriptam, eſſe ſervandam. Si verò illam capias, prout à legislatore emanat; clarè & adæquatè deſcripseris; quòd ſit præceptum commune, juſtum, utile, ac perpetuum, ab eo, qui curam communitatis habet, ſufficienter promulgatum.

4. Dici-

4. *Dicitur* 1. *Commune* ad excludenda privilegia, quæ ſunt præcepta particularia, contra tenorem rationis generalis, ob ſingularem utilitatem, aut conditionem perſonæ vel cauſæ, authoritate conſtituentium introducta; quam minimè egrediuntur. *l. in his* 15. *ff. De LL.* cùm non ſit in alijs eadem circumſtantia, exigens, ut eximantur à lege communi. *c. Privilegium* 8. *De R. l. in 6.*

5. Nunquid (AIS) feruntur leges pro ſolis pupillis, minoribus &c.? quomodo igitur lex reſpicit totam communitatem? ℞. dum dicitur lex, *commune præceptum*; non eſt ſenſus, quòd neceſſariò debeat reſpicere omnes omninò perſonas alicujus Regni, Provinciæ, aut Municipij, ſed omnes perſonas illius ſtatûs, conditionis, ſexûs, ætatis, &c. pro quibus fertur, ita ut lex pro pupillis, reſpiciat omnes pupillos, &c.

6. *Dicitur* 2. *Juſtum*, quia, ut ait D.P. Aug. *lib.* 1. *de liber. arbit. cap.* 5. *lex eſſe non poteſt, quæ juſta non fuerit.* *Ratio*: quia lex à ligando nomen hauſit, quomodo autem ligabit, ſi peccatum injuſtitiæ foveat? juſta autem erit lex, non tantùm, ſi verſetur circa materiam honeſtam. *can. erit autem.* 2. *Diſt.* 4. verùm etiam, ſi in ea ſervetur juſtitiæ forma. ſcil: intendat legislator bonum commune, & conſequenter Jura communitatis illæſa ſervet, nec ſuæ poteſtatis limites excedat, onera & præmia cum æqualitate proportionata cujusque viribus & meritis, diſtribuat; alias non tam lex, quàm violentia dicenda. D. Thomas 1. 2. *q.* 49. *art.* 4. *in* ☉. nec obligabit in conſcientia, niſi fortè propter ſcandalum vitandum. confer Zoëſium *ad ff. lib.* 1. *tit.* 3. *n.* 6. hîc

7. Quæri poſſet, num lex permittens intrinſecè malum minùs ad vitandum majus, queat dici juſta? ℞. *affirm*: quia materia ſeu objectum ejusmodi legis, non eſt ipſum opus malum, ſed permiſſio operis mali, quæ bona eſſe poteſt: Nam, ut ut actus ejusmodi, quatenus operabilis, ſit malus, nec capax obligationis legalis, utpote impoſſibilis *de Jure.* permiſſio tamen & impunitas per legem inducta, non eſt rationi disconveniens. Rationi enim maximè congruit, potiùs permittenda minora mala, quàm præbendam occaſionem majorum. Hac ratione, publica lupanaria ſecundùm communem penè gentium legem, permiſſa, ne humana libido in magis flagitioſa & infanda prorumpat ſcelera: Uſuræ permiſſæ, ut indigentibus commodiùs & promptiùs ſuccurratur: Marito, uxoris in adulterio deprehenſæ, cædem; juſtus dolor (cui modus facilè non ponitur) de

Jure

ure civili ſecùs Canonico (facit eſſe impunitam. Sic denique lege Moſaica ex Divina voluntate dato libello repudij uxorem dimittere, œda & ſordidæ Judæorum genti, ob duritiem cordis permiſſum fuit, ne ſcil: ingratas uxores atrociore ſcelere è medio tollerent, ſi eas non iceret dimittere. Zoës. *loc. cit. n* 7. Adde equidem, legem permiſſiam non eſſe propriè legem, cùm non obliget ad id, quod permittitur, cet aliunde poſſit dici lex, in quantùm obligat juſtitiæ miniſtros, e talia puniant, aut impediant.

8. *Dicitur 3tiò utile.* Duntaxat communitati: quia finis legis (licet ortè non ſit legislatoris) eſt bonum & utilitas Reipublicæ, ut bene dvertit Cicero *lib. 1. de legib. dicens: conſtituendas eſſe leges publicæ ſalutis causâ.*

9. DICES. Lex imponens vectigalia, tributa, &c. non reſpicit bonum commune, ſed Principis ℞. *Diſt. Aſſumpt.* non reſpicit bonum commune immediatè C. mediatè N. Princeps enim tributorum ollectâ, theſauros accumulat, quêis ingruente neceſſitate, aut hoium incurſu, ſubditos conſervet, defendátque.

10. DICES iterùm. Leges de confitendis peccatis ſemel in anno, de communione Paſchali, & ſimiles non reſpiciunt bonum commune, ſed privatum cujusvis Chriſtiani. ℞. reſpiciunt bonum privaum immediatè C. ultimatè N. per illas quippe leges ultimatè intenitur cultus & honor DEI, à quo boni communis pax & incremenum exſpectatur.

11. *Dicitur 4tò perpetuum. Ratio:* quia ad rectam Reipublicæ gubernationem neceſſaria ſunt præcepta ſtabilia, quæ ſint certæ ac ermanentes regulæ ac menſuræ operationum; quæ parùm conducerent bono publico, niſi ſint ſtabiles, atque uniformes, aliàs dum certo jure utimur, fluctuaret ſæpe Respublica, & facilè ſcindi poſt in tumultuarias factiones. Hinc indefinitè ferenda eſt lex, haétque infinitam durationem ex parte ſubditorum, cùm non tanm obliget præſentes, ſed etiam futuros, ſtatim atque incipiunt eſſe e nbra communitatis. Zoës. *loc. cit. n. 8.* quin etiam lex obligat, g slatore defuncto, in quo differt à præcepto ſimplici, quod exirat, exſpirante præcipiente. Cæterùm hæc legis perpetuitas non t *poſitiva*, quaſi verò nunquàm poſſet abrogari, ſed *negativa*, quatens ſine certi temporis meta fertur, & tam diu durat, quàmdiu à incipe non revocatur aut contraria conſvetudine aboletur. Eccur ortuo legislatore nòn exſpirat lèx, cùm tamen ab ipſo totam vim

E ſuam

ſuam habeat? ℞. quia tametſi lex humana immediatè vim ſuam accipiat à legislatore, mediatè tamen ab aliquo, qui non moritur. lex ſcil: Eccleſiaſtica à Chriſto. Civilis à populo, qui lege Regiâ jus ſuum in Principem tranſtulit. Confer P. Franciſc. Henno *tract. de LL. quæſt. 1.*

13. *Dicitur 5tò ab eo qui curam habet communitatis.* Proinde, ubi Monarchicum viget imperium, poteſtas legislativa uni ineſt capiti. Ubi Ariſtocraticum; hæc poteſtas eſt penes optimates ſeu Ephoros: ubi porrò Democraticum, Poliarchicum, ſeu Anarchicum; totus populus hac pollet facultate. Schambogen *ad pröem. inſtit.*

14. *Dicitur* denique. *ſufficienter promulgatum Ratio:* quòd lex ſit regula humanorum actuum, quæ non dirigit, niſi applicetur, applicatur autem per promulgationem; ut obligare nequeat, niſi ijs ſufficienter propoſita, quibus fertur; cùm ad incognitum nemo teneatur. Quare non immeritò dixit Gratianus *Can. in iſtis 3. Diſt. 4.* leges inſtitui cum promulgantur. Adeóque ante promulgationem, lex non meretur nomen, ſed potiùs habet rationem propoſiti efficacis. Hinc reſolvitur Dubium, an lex ante promulgationem obliget eum, qui novit eam eſſe conceptam, & propediem publicandam? nam cùm promulgatio ſit de ratione legis, ante eam nullam poteſt habere vim. Dein; cùm lex ſit commune præceptum, obligans omnes communiter, non debet obſtringere unum præ cæteris, eíque ſoli libertatem alijs indultam eripere, nihil faciente ſcientiâ conceptæ legis; nam privata cùm ſit, nullum dat legi iſti vigorem. Zoës *ad ff. lib. 1. tit. 3. n. 11.* ſi

15. PETAS, num lex formaliter conſiſtat in actu voluntatis ut Scotiſtæ volunt. An in actu intellectûs, ut Thomiſtis placet? ℞. parùm referre, unum vel aliud aſſeramus. Simus tamen hîc Thomiſtæ, & dicamus legem formaliter conſiſtere in ordinatione rationis, ac proin in actu intellectûs. Quod ſi intercurrat actus voluntatis, is ſanè non facit rationem legis ſeu Regulæ, ſed magis ad executionem ſpectat. Quòd enim Princeps ordinet intra ſe quid à populo faciendum, opus eſt intellectûs, quòd legem executioni mandet, promulgari & obſervari faciat, opus eſt voluntatis.

§. II.

§. II.

Num legiſlator ſuis obſtringatur legibus?

16. QUæritur hîc, quinam obligentur legibus humanis? & primò de ipſo qui legem tulit? ℞. legislator ſingularis & abſolutus, non tenetur ſuis legibus, quò ad vim coactivam, bene tamen quò ad directivam, ſi poſſit decenter illas obſervare, ita Zoës *ad ff. lib. 1. tit. 3. à n. 24.* Neeſen Hen. Gircken & Theologi communiter *in tract. De legib. Ratio 1mæ partis* eſt, quòd legislator nec ſe ipſum cogere, nec ab alio cogi poſſit, ad pænam, ſi legem non obſervet, cùm ſuperiorem (ut ſuppono) non agnoſcat. Hinc Papa percutiens Clericum non excummunicatur, imò manens Papa, nullas incurrere poteſt cenſuras. altera *pars* liquet ex D. Ambroſio *Epiſt. 32. ad Valentinianum Imperatorem: quodcunque præſcripſiſti alijs, præſcripſiſti etiam tibi, leges enim Imperator fert, quas primus ipſe cuſtodiat.* Cui conſonat dictum Prætoris: *quod quisque Juris in alterum ſtatuit, eo ipſe utatur:* ídque ex magna æquitate ut I. C. ait *in L. hoc edictum §. qui Magiſtratum. 1.* ſubjungens. *Quis aſpernabitur idem jus ſibi dici, quod dixit alijs?* Undè & *in L. ex imperfecto C. de Teſt.* dicitur nihil eſſe tam proprium imperij, quàm legibus vivere, ac dignam eſſe vocem Majeſtate regnantis, legibus ligatum ſe Principem profiteri. *L. Digna vox* 4. C. de LL. *Ratio* eſt, quia naturalis æquitas poſtulat, ut caput ſe conformet membris, ut ſic inferiores, exemplo Principis allecti, libentiùs & promptiùs legibus obtemperent. Unde D. P. Aug. *lib. 3. Confeſſ. cap. 8. turpis eſt omnis pars* (multò magis caput) *univerſo ſuo non congruens.* ſi

17. PETAS. Quale peccatum committat legislator non ſervans legem ſuam ℞. id ex gravitate materiæ, ſcandalo, vel damno quod indè exoritur, eſſe metiendum; ſepoſitis verò ſcandalo & damno, raró legislatorem præcisè inde mortaliter peccare, quòd legem ſuam non obſervet, eſto lex ipſa alios obliget, ſub mortali: ſiquidem legislator hac ratione non peccat contra legem ſuam, ſed contra legem naturalem, quæ dictat caput ſe ſe debere conformare membris, hæc verò ſecundùm ſe non videtur tam graviter obligare legislatorem. Neeſen. Henno & alij.

18. Quid circa legem irritantem ipſos actus? Diſtinguo cum Zoëſio *loc. cit. n. 30.* vel irritatio iſta eſt omninò in pœnam, veluti; quòd

quòd Simoniacus contractus nihil operetur, vel hic effectus eſt intentus propter honeſtatem morum, & juſtitiæ ſecuritatem; quoſpectant ſolemnia, quæ in Teſtamentis & contractibus requiruntur. Priori modo ſumpta irritatio, non concernit Principem, quòd talis effectus ſpectet pœnam, quæ non tenet Principem. Unde etſi Papa per Simoniam alicui contuliſſet beneficium, non ideò collatio eſt nulla, ut tradit Covarruvias *ad cap. peccatum p. 2. § 8. n. 9.* Poſteriori modo irritatio & Principem comprehendit. Nam iſte effectus pertinet ad vim directivam, & tendit ad bonum commune, cujusreſpectu, ut Princeps concordet cum toto corpore, ratio poſtulat. Sic ſolemnia Juris in pleríſque ſe ſe concernentibus ſervat: ex Teſtamento imperfecto relictum repellit, quia eſt inverecundum extali relicto, legata vindicare. *L. ex imperfecto 23. De legat. 3.* Neque enim ratio fert, ut ipſe in ſe probet, quæ improbat in alijs. In legatis etiam ſibi relictis patitur falcidiam *L. & in legatis 4. C. de Leg. falcid.* Inofficioſi querelam, inſtitutus, contra ſe admittit. *L. Papinianus 8. §. ſi Imperator 2. de inoffic. Teſtam.*

19. Quid ſi Princeps ipſe actum geſſerit? ℞. ſi ſcienter omiſerit ſolemnitates, aut contra legem ſuam egerit, cenſetur ſecum diſpenſare: unde validè, omiſſis ſolemnitatibus, teſtatur. uti & manumittit ſola voluntate. *L. apud eum 14. de manumiſſ.* Teſtamentum coram ſe abſque ordinario teſtium numero factum, facit juſtum eſſe, & ex eo ſuccedi per nominatum. *L. omnium 19. C. De Teſtam.* inhabili ſcienter officium conferens, videtur eundem habilitare, ut probatur per *L. Barbarius 3. De offic. Prætor.*

20. Dicta procedunt *1mò* de tali lege, quæ eſt inductiva Juris novi humani, non etiam de ea, quæ eſt declarativa Juris naturalis. Quia certum eſt talem legem æquè obſtringere Principem ac ſubditos. 2. Intelligenda ſunt de Principe, qui talis manet, nam ſi contigerit eum poſtea in ſtatu ſubjectionis conſtitui; legibus à ſe latistenetur, veluti quandò contingit eum, qui in Magiſtratu aut dignitate leges tulit, redigi in ordinem, tunc enim rectè legem, quam tulit, patitur, ſecundùm *cap. cum omnes 6. De conſtit.* *3tiò* procedunt de legiſlatore ſingulari. Nam quandò plures ferunt legem per modum unius corporis; ſinguli ſubduntur, quò ad vim tam coactivam, quàm directivam. *Ratio*: quia licet omnes collectivè ſumpti, ſint ipſacommunitas v. g. *ſenatus, Capitulum*; diſtributivè tamen conſiderati, ſunt inferiores communitate, ipsámque ſuperiorem cognoſcunt.

4tò

ntò. dicta capienda ſunt de legiſlatore abſoluto, id eſt, qui ſolus le-
em communitati ferre poteſt, qualis eſt *Papa, Rex. Epiſcopus, &c.* nam
ſolus non poſſit, ſed debeat cum alijs legem ferre; tenebitur quó-
ue quò ad vim coactivam, & directivam. Quia etſi tanquam ca-
ut, primas obtineat partes, poſsítque primus ſuffragari; habet ta-
nen communitatem ſupra ſe, cui verè ſubditur, & talis eſt Metro-
olitanus inter Coëpiſcopos, Prælatus in Capitulo, Dux Venetorum
nter Senatotes. *ſtò* deníque cum gravo ſalis dicta accipienda; ſi
empè deceat Principem leges ſuas obſervare. Sic non tenetur Rex
d leges præſcribentes modum in convivijs, veſtibus, funeribus, aut
rohibentes ferre gladium, &c.

§. III.

An uſu rationis privati, & pueri ſubjiciantur legibus humanis?

1. USu rationis privati, aut nunquam illo uſu ſunt, ut infantes, & perpetuò amentes, aut illo uſi, ſed hic & nunc illo deſti-
uuntur, ut ebrij, dormientes, ad breve tempus delirantes. Privati
ſu rationis primô modô, non tenentur legibus humanis, ſecundô
erò modô deſtituti rationis uſu, tametſi defectu libertatis actualis
xcuſentur à legis transgreſſione, verè tamen eidem ſubduntur.
atio utriuſque partis eſt, quòd primi non poſſint legem cognoſcere,
deóque non poſſit eſſe ipſis regula: alij autem etſi actu non cogno-
cant, ſint tamen capaces cognoſcendi, cùm ratio in illis tantùm ſit
pita. Unde

22. RESULTAT. *imò*. Infantes, perpetuò amentes, ſicut & in-
ſideles, poſſe veſci carnibus in quadrageſima, imò poſſe illis præberi
on minùs quàm infirmis, cùm hoc ſit cooperari rei licitæ & nul-
tenus ipſis prohibitæ, non poſſe tamen præberi dormientibus aut
brijs, quia hoc eſſet cooperari legis transgreſſioni ſaltem materiali,
uod eſt illicitum.

23. RESULTAT *2dò*. Poſſe infantes maſculos citra excommu-
cationis pænam intromitti in clauſuram monialium, ſicut & puel-
s ante uſum rationis in clauſuram Religioſorum. idem eſto de in-
delibus & perpetuò amentibus adultis, quò ad pænam Eccleſiaſti-
am, non tamen quò ad alia inconvenientia & pericula.

24. RESULTAT. *3tiò.* Non licere perpetuò amentes provocare ad iram, libidinem, blasphemiam, &c. quia etſi non teneantur legibus humanis, & ob defectum libertatis non niſi materialiter peccent, hæc tamen non ſunt mala, quia prohibita, ſed ideo prohibita quia mala.

25. RESULTAT *4tò.* Infantes & amantes non poſſe propriè puniri, quandoquidem omnis pæna ſupponat culpam formalem vel Theologicam vel Juridicam. Hinc occidendo aut mutilando, non incurrunt irregularitatem. Clement. *Si furioſus. de homicidio.* dictum *propriè.* Nam, ſi amentes hominibus noceant, abſurda loquantur, obſcæna tractent, poſſunt & debent coërceri, ut perterriti, perinde ac animalia, cohibeantur.

26. Cæterùm, pueri ſtatim ab uſu rationis (qui ſecundùm aliquos in dubio cenſetur adeſſe ſeptenniô completô) legibus humanis obſtringuntur, non tamen omnibus. *Ratio primi* eſt, quòd tunc leges queant ipſorum mores dirigere, expediátque, ut tunc obligentur, ne poſtea vitioſis habitibus indurati, difficulter ſe ſe ſubdant rationali legum jugo. Proinde debent ſtatutis temporibus Miſſam audire, peccata confiteri, &c. *Ratio 2di* eſt. Quia multæ leges majorem requirunt maturitatem judicij, & Virium capacitatem, quàm ut tenuiorem ligent ætatem, quamobrèm ante Annum 21. completum non tenentur jejunare, nec ante undecimum aut circiter, communicare, niſi fors incidant in morbum lethalem, tunc enim ex præcepto Divino (ſi capaces ſint) obligantur. Nec diſplicet ſententia Dominici Soto, aliorúmque quorundam docentium, ante annum decimum cum dimidio (quanto infantes dicuntur pubertati proximi) nullas ab ijs cenſuras incurri; eò quòd Eccleſia non videatur minùs benigna, quàm poteſtas Civilis, quæ pueros pro delictis non punit. Verùm etſi non puniat pænâ ordinariâ, punit tamen licet mitiùs. Unde probabiliùs eſt ante dictam ætatem infantes incurrere cenſuras, & pænas Eccleſiaſticas, licet faciliùs abſolvi poſſint, & ideo non ſint v.g. propter percuſſionem Clerici, aut homicidium ad ſedem Apoſtolicam, ſed ad proprium Epiſcopum remittendi, atque ita caſus Papæ reſervatus fiat Epiſcopalis; Epiſcopo reſervatus fiat Presbyteralis.

§. IV.

§. IV.

Quinam obligentur particularibus locorum ſtatutis aut legibus?

27. MIxtim hic loquimur de legibus tum Civilibus, tum Eccleſiaſticis; ideóque quod de his ſtatuemus; de illis ſervatâ proportione intelligendum erit. Pro reſolutione

28. DICO *1mo* Qui neque Phyſicè, neque moraliter eſt conſtitutus intra territorium Eccleſiæ, id eſt, qui tam quò ad perſonam, quàm quò ad actionem v. g. contractum delictum, &c. abeſt; non obligabitur particularibus ipſius ſtatutis, ut certum eſt *ex cap ult. De conſtitutionib. in 6.* ubi Bonifacius VIII. *ſtatuto Epiſcopi* (inquit) *quo omnes, qui furtum comiſerunt, excommunicationis ſententia promulgatur, ſubditi ejus, furtum extra ipſius Diæceſim committentes, minimè ligari noſcuntur:* ex ratione: *cùm extra territorium jus dicenti non paretur impunè. L. ult. ff. de jurisdict.* Unde iterùm conſurgit diſcrimen inter legem & præceptum. Lex enim principaliter fertur in bonum communitatis, quæ uti certo territorio circumſcribitur, ita non extra, ſed intra territorium, felicitatem ſuam quærit. At verò præceptum immediatè in bonum privatæ perſonæ injungitur, adeóque ipſum ſequitur, ceu umbra corpus.

29. Idem concludendum de legibus alioquin unverſalibus per contrariam conſuetudinem in certo loco abrogatis: quia tametſi leges univerſales non alligentur certo territorio, ſed univerſum afficiant orbem Chriſtianum, equidem hoc ipſo, quòd in certo loco ſint abrogatæ, ad inſtar Privilegij localis, ab obſervantia legali omnes abſolvuntur quot quot eò loci reperiuntur. Confer Leſſ. *de I. & I. lib. 4. cap. 2. n. 45.* Engel *ad tit. de conſtit. n. 34.* & P. Henno *loc. ex citando concl. 1.*

30. ROGABIS. An ſubditi etiam tunc à legibus proprij territorij vel Diæceſis eximantur, quando ea intentione aliò ſe conferunt ut legem declinant? Laymann *tract. 4. cap. 11. n. 9.* Wieſtner *De conſtitut. n. 111.* Franciſcus Henno *tract. De Legib Diſp 3. q. 7. art 4 concl. 2.* Negant, eò quòd tales videantur agere in fraudem legis, cùm nulla cauſa, nulla ratione, nullo negotio, ſed præcisè ut indulgeant gulæ & ventri, relinquunt v.g. locum jejunij, ut alibi abdomini ſerviant. Dein (inquit P. Henno) expreſsè pergens ad aliam Parochiam,

chiam, ut alteri Parocho confiteatur, agit in fraudem, declinando proprium Parochum. ergò pergens ad aliam Diæceſim, eo præciſè animo, ut comedat carnes v. g. fraudulenter agit, declinando jejunium proprij territorij. *Confirmatur* non parùm hæc ſententia, quâdam Cardinalium Concilij Tridentini interpretum declaratione, qua *Annô 1627.* Matrimonium pronunciatum eſt irritum, quandò incolæ loci in quo Tridentinum in puncto Matrimonij eſt promulgatum, *idem domicilium retinentes ſe transferunt ad locum, ubi non eſt promulgatum, ſolo animo ſine Parocho & teſtibus contrahendi.*

31. Verùm hæc me non movent, ut in Theſi dicam, proprio territorio ſtudioſè egredientem, ut à legis inibi vigentis obſervantia eximatur; nihilominus obſtrictum eſſe legi. Talis enim revera Júre ſuæ libertatis utitur, adeóque legi non facit injuriam, & ſanè, ſi quis ſtudioſè exiens è loco ſuo, ubi non eſt jejunium ad locum ubi eſt, jejunare tenetur; ſi inibi die jejunij maneat; cur reciprocè non gaudebit favore alterius loci, ſi inibi non vigeat jejunij lex, quæ in proprio viget territorio? & cur licebit è proprio migrare loco & alibi figere domicilium præciſè ideò, ut à durioribus legibus v.g. Tributorum liberetur, & non licebit ad tempus aliô ſe transferre, ut à legibus v. g. jejunij & ſimilibus eximatur? ℞det P. Henno N. *conſeq* quia (*inquit*) in primo caſu nulla fraus reperitur, cùm ſit unicuique liberum, in hoc, vel illo territorio degere, adeóque his, vel illis legibus ſe ſubjicere: in ſecundo autem reperitur fraus: quandoquidem manens alicujus loci incola, velit illius loci leges ſubterfugere, merè ut indulgeat ventri carnes v. g comedendo. Sed *contra*: Manens priſtini loci incola tenetur jejunare in alio loco, ſi inibi vigeat jejunium, quod in proprio loco non viget, ergò è contra abſolutus erit à jejunio proprij loci, ſi aliô etiam ad tempus ſtudioſè ſe conferat, ut non jejunet. ergò parùm ad rem facit in præſenti quæſtione, an incola maneat nec ne, quia præciſè quæritur, unde proveniat, quòd quis obſtringatur loci legibus? & reſpondere debent omnes, quia ibi exiſtit. *Ad arg.* P. Henno ℞. *N. Aſſumpt.* Ad prætenſam Cardinalium declarationem ℞ huic quidem ſtandum, ſi in forma Authentica exhibeatur, ſed tamen inde non ſubverti concluſionem noſtram. Quia nos non negamus Eccleſiam, aut legislatorem univerſalem, ſtatuere poſſe, ut extra particulare & proprium hominis territorium, ipſe equidem obligetur, ſi in alio loco eidem legislatori ſubdito exiſtat, maximè ſi citra urgentem cauſam, aut in contemptum legis priſtini

ıım loci, ſe ſe eò receperit. Jam verò Eccleſiæ Romanæ totus or-
ıs, quò ad diſciplinam fidei & morum introducendam eſt ſubjectus,
x verbis Chriſti: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium*
mni creaturæ. Præterquàm, quòd Eccleſia obligare poſſit Chriſtia-
os lege & præcepto, ita ut lex locum, præceptum afficiat perſonam
bicunque exſtiterit.

32. Aliud itàque eſt, quempiam ſtudiosè, & præcisè ut gulæ ſer-
iat è proprio loco egredientem, aliôque tranſeuntem, ubi v. g. lex
junij non viget. Dies non eſt feſtivus, proinde Miſſa non audien-
a, &c. peccare, quòd ſuo Jure ſuáque libertate malè utatur, aliud
rò; an legibus proprij territorij obſtrictus maneat. Sic licet quis
ræcisè & adæquatè ideo uxorem ducat, ut voluptatibus carnalibus
dulgeat, & ideò peccet; idcircò equidem non tenetur legibus
elibatûs. Sic licet quis ideo pretium pro vino empto ſolvat, ut ſe
ebriare poſſit, & ideo peccet, Jure tamen tranſtulit dominium pre-
j in emptorem. Re igitur licitâ & bonâ malè uti poſſumus.

33. DICO *2dò.* Qui vel Phyſicè præſens eſt, vel moraliter ſal-
m; ligatur conſtitutionibus particularibus illius loci vel Eccleſiæ.
ſt communis inter Canoniſtas & Theologos *Ratio:* quia tranquil-
tas & communitatis felicitas, obtineri nequit, niſi conſtitutionibus
rticularibus & illi obſtringantur, qui moraliter præſentes ſunt,
aliter adeſſe dicuntur illi, qui alibi corporaliter exiſtentes, aliquam
tionem, omiſſionem, vel damnum à ſe cauſatum intra territorium,
cujus obſervandis conſtitutionibus quæritur, ponunt. Si itáque
atutum feratur, ut qui in Diæceſi hominem occiderit, excommu-
cationis fulmine ipſo facto percuſſus ſit; Petrus verò extra Diæce-
n corpore exiſtens, Paulum intra Diæceſin ſtantem, ſolutò ſclope-
trajiciat; utilitas communis expoſcit, ut talis homicida excom-
unicationis ictum ſentiat, ne finis per ſtatutum intentus callidâ de-
rditorum hominum machinatione circumveniatur. *Ratio ulterior:*
ia magis actus ibi commiti cenſetur, ubi conſummatur, & perficitur,
àm unde egreditur.

34. Ex hactenus dictis RESOVITUR *1mò.* quòd figens alibi domi-
ium, cum intentione videl. inibi ſemper habitandi, ſubitò tenetur le-
bus talis loci; quia eò ipſo fit illius loci incola, & membrum com-
unitatis. Quòd ſi duobus in locis domicilium elegerit; ut ſi in
eme habitet in urbe; & in æſtate ruri; tunc obligatur ad leges il-
s loci, ubi præſens fuerit; dum autem dubitat quis, an habuerit

 volun-

voluntatem perpetuò manendi in aliquo loco, ex habitatione decennali præſumitur habuiſſe.

35. Quid ſi quis ad alium locum tranſierit; cum animo manendi, nondum tamen actu ibidem habitet, ut pote, ſi necdum familiam & mobilia tranſtulit? ℞. ille pro tunc obligabitur quaſi peregrinus.

36. RESOLVITUR *2dò* Pariter teneri quempiam primo habitationis die legibus territorij, in quo habet quaſi domicilium, quale cenſetur habere, qui per majorem anni partem ſine intentione perpetuò manendi in loco moratur, ut ſtudioſus in Academia, mercator in Emporio. Unde, talis eò ipſo illius loci forum ſortitur, jurisdictioníque tum Civili tam Eccleſiaſticæ ſubjicitur, proindè ibidem acquirit Parochiam, fitque Parocho, quò ad omnia Eccleſiaſtica ſubjectus non minus ac cives. Unde poteſt illic matrimonium contrahere, ab Epiſcopo confirmationem recipere, abſolvi à caſibus reſervatis, non tamen ab illo ordinari, niſi adſit licentia proprij Epiſcopi, Jure communi ſic diſponente, toto tit. *De Clericis peregrin. non ordinand.*

§. V.

Quid de vagis & peregrinis?

37. DE vagabundis nullibi fixum domicilium habentibus, communiter docent DD. illos teneri legibus quarumcunque diœceſium aut locorum, per quæ tranſeunt; *Ratio*: quia alioquin ab omni lege tum civili, tum Eccleſiaſtica eximerentur; ſícque fierent quaſi exleges ſine ſuperiore, & ſine regimine ſaltem particulari, tum quia peregrini non ſunt exempti, licet alibi domicilium habeant; ut mox latius dicetur. ergo minus vagi. Itaque omnium locorum, per quæ tranſeunt, ſubditi cenſentur, ibíque conveniri poſſunt, ubi inveniuntur.

38. De peregrinis jam memoratum, ſed rimandum reſtat, an, ſi per brevem morulam exiſtant in loco mox diſceſſuri, teneantur legibus illius? indefinitè affirmat P. Schmier *tract. 1. cap 5. ſect. 3. §. 4. n. 170.* citans pro ſe Covarruviam, Suarez Zoëſium, Schambogen & alios. Verùm

39. ℞. & DICO. Peregrini, alibi nempe domicilium habentes, tenentur legibus locorum, per quæ tranſeunt, ſi moram trahant præcepto ſervando proportionatam; aliàs non, per ſe loquendo. ita

Zoës.

oës. *ad Decret. lib. 3. De Parochijs & alien. Paroch. n. 6.* Ex Theolo-
s Suarez, Leſſius, Malderus, Gonet, Herinx, Henno, &c. *Ratio 1mæ
rtis eſt*, quia rationi congruit, ut qui ſentit comodum ſentiat & —
nus. Atqui peregrini eximuntur à legibus proprij territorij. ergo
bduntur legibus alieni, dum ibi verſantur. Tum etiam, quia Lex
rtur toti territorio, non etiam perſonis, ut omnes in eo degentes
o tempore, quo ibi agunt, obliget, quod ipſum ad bonam commu-
itatis gubernationem eſt neceſſarium. Nam aliàs pax & tranquilli-
s populi in loco ſervari non poſſet, ſed Babylonica oriretur confu-
o præſertim in magnis urbibus Hanſiaticis & emporijs, ſi cuivis ad-
enæ, proprijs domicilij ſui Juribus uti permiſſum foret. Quò facit
n. *quæ contra 2. Diſt. 8.* ubi pactum civitatis, aut gentis, conſvetu-
ne aut lege firmatum, nullâ civis, aut peregrini licentia violandum.
clarius in *Can. illa 11. Diſt. 12.* ubi D. P. Auguſtinus *relatus* ait: *nec
ſciplina ulla eſt in his melior, gravi prudentique Chriſtiano, quàm ut eò mo-
agat, quo agere viderit Eccleſiam ad quamcunque fortè devenerit.* Con-
r Zoës. *ad ff. lib. 1. tit. 3. n. 20.* & Navar. *in ſumma. cap. 13. n. 5. &
p. 23. n. 120.*

40. *Ratio 2dæ partis* eſt. Quia etſi, ut dictum, peregrini teneantur
gibus loci, ubi exiſtunt per tranſennam, non tamen obligandi ſunt,
ibidem maneant, donec legem aut præceptum implere poſſint.
ſi quis in loco dormierit ſtatim perrecturus in locum alium, ubi
ſtum non eſt, non tenetur audire Miſſam, ſecùs, ſi maneret in loco
ſti toto tempore matutino. Tenetur tamen rurſus in loco feſti —,
i per modum tranſeuntis eſt, abſtinere ab operibus ſervilibus; quia
æceptum eatenus eſt negativum. Zoës *ad Decretales tit. ſupra cit —.*
ontra *1mam partem.*

41. OBJICI poſſet *1.* quòd Sacerdotes græci in Eccleſia latina
antur proprijs græcorum ritibus, & latini ſuis in Eccleſia græca —.
Quòd Epiſcopus non poſſit diſpenſare in votis peregrinorum —.
Quòd nemo ſit ſubditus alteri niſi ratione vel domicilij, vel quaſi
micilij, vel delicti, contractûs, originis, aut rei poſſeſſæ: ſed fieri
teſt, quòd peregrinus nec deliquerit, contraxerit, &c, in loco ubi
breve tempus exiſtit. ergo.

42. Ad 1. ℞. in Concilio Florentino ſpecialiter id tam græcis,
àm Latinis reſpectivè permiſſum eſſe ex ſingulari ratione, ne vide-
et Sacerdotes cum nimia difficultate ritus ſuos cogerentur mutare;
oinde quod ex ſingulari Jure conceſſum, non eſt prorogandum in

 con-

conſequentiam aliarum legum. Ad 2. ℞. dubium eſſe an Epiſcopus non poſſit diſpenſare in votis peregrinorum. Sed eſto non poſſit, non ſequitur quòd nequeat illos ſuis obſtringere legibus, cùm hoc ad pacificum Diæceſis regimen conducat, non illud. Ad 3. ℞. neminem quidem fieri ſubditum *permanenter*, niſi ratione domicilij, &c. bene tamen *tranſeunter*. Ex his

43. DEDUCES accedentem circa prandium ad locum jejunij, poſſe ibidem prandere, licet manè ſumpſerit jentaculum in loco, ubi non erat jejunium: non poſſe tamen veſci carnibus. *Ratio*: quia poteſt ibidem ſe alijs conformare, qui tunc ſumunt prandium, non carnes.

44. DEDUCES etiam, diſcedentem à loco jejunij non poſſe antea ſumere jentaculum (niſi aliunde iter pedeſtre excuſet) ſicut nec accedentem ſub veſperam ad locum jejunij ſumere cænam, ſed tantùm collationem. *Ratio*: quia poteſt facilè partem illam jejunij obſervare. Qui autem non poteſt totam legem ſervare, tenetur ad partem ipſi moraliter poſſibilem.

45. DEDUCES denique eum, qui ex Anglia (ubi obſervato ſtylo veteri necdum abſoluta eſt quadrageſima) in germaniam venit, ubi abſoluta eſt quadrageſima poſſe cum alijs non jejunare, & carnes comedere. Sicut è contra tenetur adhuc jejunare, qui ex loco quodam abſolutâ quadrageſimâ pergeret Londinum, ubi abſoluta non eſt; idque ex ratione jam data. Plura ex hoc principio deducit Henno *loc. cit.*

§. VI.

Quid porrò de Exemptis ſentiendum v. g. collegio aut Monaſterio à jurisdictione Epiſcopi exempto?

46. RESp. hi directè non obligantur particularibus legibus territorij communis non exempti, bene tamen indirectè. *Ratio primi eſt*: quia tales, licet in territorio commorentur, non tamen ſunt de territorio, & conſequenter legibus territorij de quo non ſunt, directè nequeunt obligari. Unde Pontifex prohibet Prælatis impedire privilegia inferiorum, ijs datâ licentiâ non parendi. *cap. ſanè De Exceſſib. Prælat.* cenſurâ, ſi qua fortè ideo innodati; irritâ declaratâ. *cap. cum ad quorundam eod. tit.* tanquam lata à non habente Authoritatem. Zoes *ad illum tit. n. 3.* *Ratio ſecundi eſt*: quia æquum, ut

t communitati, quæ eſt de territorrio, perſonæ exemptæ in ope-
ndo ſe conforment, ne infirmi & rudes, ſcandalum, aut ſiniſtram
pinionem concipiant. Adeóque occaſione legis diæceſanæ indire-
è obligantur, & hinc eſt, quòd cenſuræ, & interdicta à locorum
rdinarijs promulgata, à quibuscunque exemptis, in eorum Eccle-
s pariter publicanda & ſervanda ſint. Trident. *Seſſ. 25. De Regularib.*
p.12. Dies itidem feſtivi, quos ſervari fortè in ſua diæceſi præcepe-
t Epiſcopus, ſervari quoque debeant à Regularibus exemptis. Tri-
ent. ibidem. Confer. Barbos. *de offic. & Poteſt. Epiſc. allega 105. n.*
.. *& ſeqq.*

47. Cæterùm Epiſcopus, licèt in Exemptos ordinariam non ha-
eat Jurisdictionem, habet tamen in certis caſibus delegatam,
ua tanquam legatus Sedis Apoſtolicæ procedere poteſt. Quin &
emptio Regularium per Tridentinum præcipuè Concilium valdè
arctata fuit; atque ut inter Epiſcopos & Regulares, facilè exori-
ræ præſcinderentur controverſiæ; varij caſus, tum in Jure commu-
, tum noviſſimè per Tridentinam Synodum ſunt expreſſi, quibus
egulares aliquin exempti; ſubſint locorum Ordinarijs. Hos caſus
igillatim perveſtigare deſideras, conſule Proſperum Fagnanum
cap. grave. n.37. & ſeqq. De offic. Ordinarij. Ubi hujusmodi caſus enu-
erat quadraginta ſeptem confer etiam Auguſtinum Barbos. *part. 3.*
offic. & poteſt. Epiſc. Allegat. 105. qui recenſet tales caſus quinqua-
nta duos. Tamburin. *De Jure Abbat. Tom. III. Diſp. 5. q. 11.* Eraſm. à
hokier. *De Jurisdict. Ord. in Exempt. p. 2. q. 45.* & recenter P. Ana-
et. Reiffenſtuel *in lib. 1. Decret. De offic. jud. ordin. §. 5. n. 6.* Qui om-
um optimè uſum & intellectum quadraginta principaliorum ho-
m caſuum exponit. Utrùm autem in omnibus iſtis caſibus æquali-
 procedere poſſit Epiſcopus, contra illos etiam, qui ſpecialiter
nt exempti, & in immediatam Sedis Apoſtolicæ protectionem
nt recepti? ſanè non videtur aſſerendum, maximè ſi hujusmodi pe-
liare exemptionis Privilegium, titulo onoroſo ſit conceſſum.
to: Ne talis ſpecialitas ſit inanis, & meræ verbalis abſque ſingu-
i effectu. Hoc certum eſt, quòd in immediatam protectionem
ntificis Romani receptis, debeatur major honor. *arg. cap. per tuas 7.*
Majorit. & Obed. Zoes *ad tit. De Privileg. & exceſſ. Privilegiat. n. 22.*

§. VII.

An legiſlator humanus obligare poſſit in conſcientia?

48. LEgis inter effectus (aut officia) cujusmodi ſunt præcipere, prohibere, permittere, punire, præcipuus & proprius eſt, obligatio paſſiva in ſubdito ad obtemperandum juſſui mandantis. Lex enim à ligando nomen habet.

49. Quæritur an legiſlator humanus, &c. ac proinde an Lex humana obligare poſſit in conſcientia? de lege enim naturali aut divina non poteſt eſſe quæſtio mentis compoti, habet námque lex naturalis & Divina poſitiva pro cauſa afficiente DEUM, cui non tantùm conſcientiæ noſtræ ſunt apertæ & ſubjectæ, ſed etiam poteſtas competit reatum pænæ æternæ inducendi & exequendi. loquendo itaquè de legiſlatore & legibus humanis.

50. DICO I. Legiſlator tum Civilis tum Eccleſiaſticus poteſt obligare in conſcientia. Eſt communis.

51. *Ratio 1mæ partis* eſt. Tum quia lex Divina præcipit, ut ſæculari quoque poteſtati in conſcientia obtemperemus. ut videre eſt. *Matth* 18. *Luc.* 10. *Proverb.* 8. 1. *Petri* 2. *ad Rom.* 13. ℣ 5. *neceſſitate ſubditi eſtote* (nempe legiſlatori civili) *non ſolùm propter iram ſed etiam propter conſcientiam. &* ℣. 2. *qui poteſtati reſiſtit, DEI ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Tum quia poteſtas civilis inermis, infirma & vacua foret, ſi eſſet deſtituta vi ſtringendi conſcientiam. Quid enim prodeſt jubere, ſi nemo in conſcientia obſtrictus eſſet obtemperare. Sanè nihil facilius & frequentius contingeret, quâm leges in foro ſolùm externo vim habentes, eludi, & occulta fraude elidi. Itáque licet poteſtas civilis ſit merè temporalis ex objecto, quatenus non niſi perſonas, res, & actiones temporales reſpicit, equidem, quoniam has efficaciter reſpicere non poſſet, niſi conſcientias ſtringeret, dicendum utique eſt, illas obſtringere poſſe.

52. Nec OBEST quòd legiſlator civilis pænam æternam ſub qua obligat, nequeat immediatè & per ſe infligere, quia aliud eſt obligare ad pænam, aliud illam exequi. Nam poteſt Legiſlator inferior obligare ad pænam quam ſolus ſuperior ſibi reſervavit infligendam, & poteſt vinculum inducere, quod non poteſt relaxare. Totum enim hoc dependet à voluntate ſupremi legiſlatoris, qui judicibus inferioribus dat talem, qualem vult ligandi poteſtatem. Unde licet à ſolo DEO, tan-

nquam à cauſa prima proveniat vis obligandi in conſcientia, pro-
enit tamen à legislatore humano, tanquam à cauſa ſecunda & pro-
ma.

53. DICES. Cum Vaſquez *illuſtr. quæſt. cap. 29. n. 1.* tota legum civi-
ım condendarum poteſtas, à populo in Principes, non ad regen-
ım, ſed ſubditorum utilitatem translata eſt, quibus perniciosiſſi-
um eſſet, ſi ad mortem æternam leges illæ, aut præcepta Principis,
ii ipſimet jurisdictionem dederunt, conveterentur. ℞. *conced.* po-
ſtatem legislativam per populum Principi attributam ſed *nego illa-
m* quomodo enim ſtaret diu in communitate pax & concordia, &
ıàm deplorandus eſſet Princeps, ſi populus tantùm in ſpeciem & e-
xternis ſimulationibus, non autem ex fide animi, legibus ſaluberri-
is obtemperare cogeretur. Fallitur ergo Vasquez in ſuppoſito, ſ-
pponit enim populo ſeu communitati perfectæ deeſſe poteſtatem
oligandi in conſcientia, quod falſum. Itaque ex eô quòd poteſtas
vilis in genere acceperit facultatem obſtringendi conſcientias, li-
uidò infertur quamlibet Rempublicam, ſive, ad Monarchiam ſive
Democratiam, ſive an Ariſtocratiam, ſive ad formam & Politiam
am deflectat, ſimili poteſtate condecoratam eſſe.

54. Legislatorem Eccleſiaſticum poſſe obligare in conſcientia
de fide, ex S. Script. *Lucæ 10. ℣. 16. qui vos audit, me audit, qui vos
rnit, me ſpernit;* & *Matth. 18. ℣. 17. ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi
ut Ethnicus & Publicanus.* Et quid aliud ſibi vellet Petro data po-
ſtas ligandi homines, etiam in cælis, id eſt, in cæleſti judicio, quod
Tribunal conſcientiæ, quàm conſcientias obligandi? quòd autem
a obligatio etiam procedat à legislatoribus humanis, patet ex *Act.*
. ℣. 28. viſum ſpiritui ſancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris,
ex 1. *Corinth. 7. ℣. 12.* Ubi Doctor gentium ait: *cæteris ego dico non
minus.*

55. *Ratio* ulterior utriúsque partis eſt, quòd lex diſtingvatur e-
ſentialiter à conſilio in hoc, quòd lex parendi neceſſitatem indu-
t, conſilium libertatem relinquat licitè faciendi oppoſitum. Plura
objici poſſent de legibus pænalibus, & alijs in præſumptione ſ-
ndatis, irritantibus, ſtatutis Religionum, ſed de his ſigillatius infra.
his

56. COLLIGES. Poteſtatem Prælatorum & ſuperiorum latiùs
extendere, quàm ad ea, quæ ſunt Juris naturalis vel Divini. Nam
poſtoli multa præceperunt, quæ non erant de Jure naturæ aut Di-
vino

vino poſitivo. Sic Paulus ſtatuit legem de Bigamis ad Epiſcopatum non promovendis, & Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano prohibuerunt comedi ſanguinem animalium ſuffocatorum, & ita Eccleſia modo præcipit annuam confeſſionem, communionem Paſchalem, jejunia, &c.

57. DICES 1*mò*. Neque in veteri, neque in novo teſtamento voluit DEUS quidquam addi mandatis ſuis. ut patet. *Deuteron. 4.* ubi dicit Dominus: *non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* & *Matth. 26. docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis.* & clarius ad *Galat. 1. licet nos aut Angelus de cælo Evangelizet vobis, præterquam quod Evanlizavimus vobis, Anathema ſit.* ℞. hos & ſimiles paſſus velle, nihil addendum, quod repugnet adverſetúrque verbo DEI. Quando autem *Marci 7.* Chriſtus dicit: *in vanum me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum.* Arguit Phariſæos, inducentes multa vana, & inutilia præcepta, quæ nihil veræ Religionis continebant, utpote crebras lotiones & Baptiſmata calicum & urceorum, &c. quæ rigidiſſimè obſervari volebant, *excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Jam verò præcepta Eccleſiæ, non ſunt inanes cæremoniæ, ſed continent religioſum DEI cultum. Itaque Chriſtus ibidem non arguit Scribas & Phariſæos, eò quòd aliqua præcepta inſtituerent; Nam expreſsè dicit *Matth. 23. quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite*, ſed reprehendit illos, quia diverſis præceptis ſubditos onerabant, quæ illi digito nolebant attingere.

58. DICES 2*dò*. 1. *Corinth. 7.* ait Apoſtolus: *pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum* ergo. ℞. hoc loco Apoſtolum velle, nequis fiat ſervus hominum illorum, qui obediunt pravis concupiſcentijs, & illicitis cupiditatibus. Libertas igitur Chriſtiana nobis per Chriſtum collata, non eſt libertas ab obſervantia præceptorum DEI, aut Eccleſiæ, ſed libertas à peccato juxta illud *ad Rom. 6. liberati à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.*

59. REPLIC. 1. Lex Evangelica per ſe eſt ſufficiens ad ſalutem, ergo ſupperfluæ ſunt leges humanæ. ℞. *N. conſeq.* quia lex Evangelica nedum comprehendit mandata immediatè à Chriſto data, ſed etiam ab Eccleſia per Chriſti Authoritatem conſtituta. *Si Eccleſiam non audierit* (inquit Salvator) *ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Matth. 18.*

60. REPLICAB. 2. Chriſtus abrogavit leges Moſaicas, partim propter earum multitudinem, partim propter nimiam difficultatem, ergò abrogandæ ſunt leges Pontificiæ, quæ ſunt multò plures, utpo-

te

replentes vaſtum corpus Juris Canonici, & proin obſervatu diffici-
s, idque ne durior ſit Chriſtianorum, quàm Judæorum conditio.
Chriſtum abrogâſſe leges Cæremoniales Moſaicas, non præcisè
opter earum multitudinem, ſed partim quia erant umbræ legis
vangelicæ, partim quia ad conferendum juſtificationis effectum
ant inutiles. Dein falſum eſt, leges Pontificias eſſe plures, cùm tan-
m exſtent quinque Eccleſiæ præcepta totum populum Chriſtia-
im concernentia. Jus verò Canonicum magna pro parte conti-
et ſolùm regulas directivas, & doctrinales, ut patet ex Decreto
ratiani: regulæ autem obligatoriæ in illo contentæ, non reſpi-
unt abſolutè totum populum Chriſtianum, ſed certam hominum
nditionem. Nempe aliquæ ſtringunt Epiſcopos, aliquæ Presby-
ros, Diaconos, Religioſos, Judices, &c.

61. REPLICAB. *3tiò* Omne peccatum eſt transgreſſio legis
ernæ. ergò transgreſſio legis humanæ non eſt peccatum. ℟. *N.*
nſeq. Quia eo ipſo, quò lex aliqua humana juſtè eſt lata, DEUS
æcipit illam obſervari, & ita dum voluntariè contra illam agitur,
pingitur in legem æternam. Itáque unum è mandatis divinis eſt
oc, obediendum eſſe ſuperioribus, proinde qui legem humanam
nsgreditur, violet quoque legem Divinam. Ex his quoque

62. DEDUCES dari poteſtatem legislativam in Politia civili, ſi-
interim ejus Princeps ſit bonus, ſivè malus, ſivè Catholicus, ſive
æreticus, ſivè Fidelis, ſivè Æthnicus, eſt contra Wiclefum, hanc
teſtatem concedentem Principibus bonis, ſed abnegantem malis,
patet ex ejus *articulo 15.* in Concilio Conſtantienſi *Seſſ. 8.* proſcrip-
. Et ſanè vel poſt peccatum remanent Principes & ſuperiores, vel
n? Si non, cur totus Iſraël, imò totus orbis, Davidem, Salomo-
m alióſque plures pro Regibus habuerunt poſt patrata peccata?
nquid Daniel dixit Nabuchodonoſori ſcelerato *tu es Rex Dan. 2.*
29. ſi verò Reges manent, cur privarentur poteſtate Regiæ digni-
ti annexâ, neceſſariâ, & quaſi intrinſecâ capiti morali aliorum.
ic error inſuper luculenter refellitur ex S. Scriptura *ad Titum 3. ℣. 1.*
mone illos, Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe. & *ad Rom. 13. ℣. 1.* &
Petri 2. ℣. 13. ubi nullatenus ſcriptura diſtinguit inter Principes bo-
s & malos. Cur ergò nos diſtingueremus? quin & expreſsè *1. Pe-*
2. ℣. 8. inſinuatur etiam malis obediendum. *Servi ſubditi eſtote in*
ni timore Dominis non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.
uod & Chriſtus ſuô comprobavit exemplô, dum Principibus tri-

 butum

vino poſitivo. Sic Paulus ſtatuit legem de Bigamis ad Epiſcopatum non promovendis, & Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano prohibuerunt comedi ſanguinem animalium ſuffocatorum, & ita Eccleſia modo præcipit annuam confeſſionem, communionem Paſchalem, jejunia, &c.

57. DICES 1mò. Neque in veteri, neque in novo teſtamento voluit DEUS quidquam addi mandatis ſuis, ut patet, *Deuteron. 4.* ubi dicit Dominus: *non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* & *Matth. 26. docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis.* & clarius ad *Galat. 1. licet nos aut Angelus de cælo Evangelizet vobis, præterquam quod Evanlizavimus vobis, Anathema ſit.* ℞. hos & ſimiles paſſus velle, nihil addendum, quod repugnet adverſetúrque verbo DEI. Quando autem *Marci 7.* Chriſtus dicit: *in vanum me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum.* Arguit Phariſæos, inducentes multa vana, & inutilia præcepta, quæ nihil veræ Religionis continebant, utpote crebras lotiones & Baptiſmata calicum & urceorum, &c. quæ rigidiſſimè obſervari volebant, *excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Jam verò præcepta Eccleſiæ, non ſunt inanes cæremoniæ, ſed continent religioſum DEI cultum. Itaque Chriſtus ibidem non arguit Scribas & Phariſæos, eò quòd aliqua præcepta inſtituerent; Nam expreſsè dicit *Matth. 23. quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite*, ſed reprehendit illos, quia diverſis præceptis ſubditos onerabant, quæ illi digito nolebant attingere.

58. DICES 2dò. *1. Corinth. 7.* ait Apoſtolus: *pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum* ergo. ℞. hoc loco Apoſtolum velle, nequis fiat ſervus hominum illorum, qui obediunt pravis concupiſcentijs, & illicitis cupiditatibus. Libertas igitur Chriſtiana nobis per Chriſtum collata, non eſt libertas ab obſervantia præceptorum DEI, aut Eccleſiæ, ſed libertas à peccato juxta illud *ad Rom. 6. liberati à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.*

59. REPLIC. 1. Lex Evangelica per ſe eſt ſufficiens ad ſalutem, ergo ſupperfluæ ſunt leges humanæ. ℞. *N. conſeq.* quia lex Evangelica nedum comprehendit mandata immediatè à Chriſto data, ſed etiam ab Eccleſia per Chriſti Authoritatem conſtituta. *Si Eccleſiam non audierit* (inquit Salvator) *ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Matth. 18.*

60. REPLICAB. 2. Chriſtus abrogavit leges Moſaicas, partim propter earum multitudinem, partim propter nimiam difficultatem, ergò abrogandæ ſunt leges Pontificiæ, quæ ſunt multò plures, utpò-

te

te replentes vaſtum corpus Juris Canonici, & proin obſervatu difficiles, idque ne durior ſit Chriſtianorum, quàm Judæorum conditio. ℞. Chriſtum abrogâſſe leges Cæremoniales Moſaicas, non præcisè propter earum multitudinem, ſed partim quia erant umbræ legis Evangelicæ, partim quia ad conferendum juſtificationis effectum erant inutiles. Dein falſum eſt, leges Pontificias eſſe plures, cùm tantùm exſtent quinque Eccleſiæ præcepta totum populum Chriſtianum concernentia. Jus verò Canonicum magna pro parte continet ſolùm regulas directivas, & doctrinales, ut patet ex Decreto Gratiani: regulæ autem obligatoriæ in illo contentæ, non reſpiciunt abſolutè totum populum Chriſtianum, ſed certam hominum conditionem. Nempe aliquæ ſtringunt Epiſcopos, aliquæ Presbyteros, Diaconos, Religioſos, Judices, &c.

61. REPLICAB. *3tiò* Omne peccatum eſt transgreſſio legis æternæ. ergò transgreſſio legis humanæ non eſt peccatum. ℞. *N. conſeq.* Quia eo ipſo, quò lex aliqua humana juſtè eſt lata, DEUS præcipit illam obſervari, & ita dum voluntariè contra illam agitur, impingitur in legem æternam. Itáque unum è mandatis divinis eſt hoc, obediendum eſſe ſuperioribus, proinde qui legem humanam transgreditur, violet quoque legem Divinam. Ex his quoque

62. DEDUCES dari poteſtatem legislativam in Politia civili, ſivè interim ejus Princeps ſit bonus, ſivè malus, ſivè Catholicus, ſive Hæreticus, ſivè Fidelis, ſivè Æthnicus, eſt contra Wiclefum, hanc poteſtatem concedentem Principibus bonis, ſed abnegantem malis, ut patet ex ejus *articulo 15.* in Concilio Conſtantienſi *Seſſ. 8.* proſcripto. Et ſanè vel poſt peccatum remanent Principes & ſuperiores, vel non? Si non, cur totus Iſraël, imò totus orbis, Davidem, Salomonem alióſque plures pro Regibus habuerunt poſt patrata peccata? nunquid Daniel dixit Nabuchodonoſori ſcelerato *tu es Rex Dan. 2. ℣. 29.* ſi verò Reges manent, cur privarentur poteſtate Regiæ dignitati annexâ, neceſſariâ, & quaſi intrinſecâ capiti morali aliorum. Hic error inſuper luculenter refellitur ex S. Scriptura *ad Titum 3. ℣. 1. admone illos, Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe.* & *ad Rom. 13. ℣.* 1. & 1. *Petri 2. ℣.* 13. ubi nullatenus ſcriptura diſtinguit inter Principes bonos & malos. Cur ergò nos diſtingueremus? quin & expreſsè 1. *Petri 2. ℣. 8.* inſinuatur etiam malis obediendum. *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Quod & Chriſtus ſuô comprobavit exemplô, dum Principibus tri-

 butum

butum ſolvit, & alios ſolvere juſſit. *Ratio* autem eſt, quia ſivè Princeps ſit bonus ſivè malus, equidem communitas ſalubribus legibus petit regulari, ut ejus bonum pacis & tranquillitatis conſervetur.

63. DEDUCES adhuc. Poteſtatem ferendi leges civiles competere Reipublicæ, aut communitati, vel ipſius curam gerenti, ita tamen ut communitati immediatè, & Jure naturæ, Regi verò, Principi, aut Magiſtratui mediatè & Jure humano conveniat, quia quòd quis ſit Rex, Princeps, &c. non habet à ſe ſed à communitate ſeu populo, qui ipſum elegit, vel immediatè, ut dum Rex eſt electivus vel mediate, ùt dum eſt hæreditarius, ſeu quando populus unum aſſumpſit cum ſua poſteritate.

64. Poterítne Regina ferre leges, dum Jure hæreditarío vel alio titulo competit ipſi Regni dominium? ℞. *Affirm.* quia poteſtas legislativa ſequitur jus & dominium Regni. Unde Maritus talis Reginæ, qui nominetenus dicitur Rex non poteſt legem ferre, niſi ipſa conſentiat. Quia etſi maritus ſit caput uxoris quantùm ad œconomicam familiæ adminiſtrationem; poteſt tamen uxor eſſe caput viri ſicut & totius Regni quantùm ad politicam gubernationem. Sed connubium anceps, ubi etiam dimidium Regni cum Jove Juno tenet.

§. VIII.

An & quomodo cenſeatur, ac poſſit legifer humanus ſub gravi culpa obligare?

65. DICO. Poteſt legislator tam Civilis, quàm Eccleſiaſticus obligare ſub mortali. *Ratio:* Quia ſine tali obligatione leges ſæpè forent inutiles, & aliunde gravis obligatio multùm conducere poteſt ad bonum commune. ergo poteſtas illa non eſt legislatori deneganda. Ad hæc: poteſt obligare ſub peccato veniali, quando materia eſt levis, ergo & ſub mortali quando gravis eſt, & cur non poſſet legislator proportionatam materiæ obligationem inducere? ſanè, idipſum ſatis indigitat S. Scriptura, dum reſiſtentes ſuperiorum poteſtati, damnationem ſibi acquirere aſſerit, quæ non niſi ob lethale peccatum incurritur. Quamobrèm D. P. Aug. *Epiſt. 50. ad Bonifacium Comitem: quicunque* (inquit) *legibus Imperatorum, quæ pro DEI veritate feruntur, non vult obtemperare, acquirit grande ſupplicium.* Nempe apud vindicem DEUM,

66. Sed undenam colligitur gravis obligatio Legis? ℞. hæc præprimis menſuranda à gravitate materiæ. *Ratio:* Quia ad eum ferè modum, quo obligatio dicitur eſſe fundamentum pænæ, materia eſt radix obligationis. Proinde, ſicut inter obligationem & pænam, oportet intercedere proportionem; ſic inter materiam, & obligationem. Adeóque, ſicut obligatio, ſeu culpa gravis, recipit pænam gravem; levis levem, ita materia gravis recipit obligationem gravem. Levis levem.

67. Verùm non nudè crudè materia capienda, ſed præcipuè cum habitudine & connexione, quam habet ad finem à legislatore intentum; Sic comeſtio pomi intrà genus & objectum comeſtionis ſpectata, item commixtio aquæ modiciſſimæ cum vino, intra ſphæram commixtionis, leves materiæ ſunt; quatenus tamen comeſtio pomi Adamo prohibita, in proteſtationem Dominij, ex parte Creatoris, & ſignum ſubjectionis ex parte creaturæ; quatenus etiam commixtio aquæ cum vino in Sacrificio Miſſæ præcepta, ad repræſentandum cruentum crucis ſacrificium, in quo de latere Chriſti fluxit ſanguis & aqua: & comeſtio, & commixtio iſta conſtituunt materiam gravem. Itáque, quando res præcepta aut prohibita, ſpectatis omnibus circumſtantijs reputatur, gravis, gravis quóque reputanda eſt obligatio, niſi aliud expreſſerit legislator.

68. Præterea; ad dignoſcendum, an legislator materiæ ad finem à ſe intentum præceptæ, aut prohibitæ, gravem voluerit imponere obligationem? ſpectanda ſunt *1mò* verbo. *2dò* pæna. *3tiò* conſuetudo. Hinc quando legislator legi ſuæ inſerit certas præcipiendi aut prohibendi formulas graviter comminatorias. v. g. *præcipio, aut prohibeo ſub indignatione DEI & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſub interminatione Divini judicij. in virtute ſanctæ obedientiæ, &c.* prudenter judicamus obligationem induci gravem. Idem eſto quando lex gravem imponit pænam transgreſſoribus, ùt in ſpiritualibus, excommunicationem majorem, Depoſitionis, Degradationis, &c. in temporalibus pænam mortis, mutilationis, infamiæ, confiſcationis bonorum, &c. Tantum enim regulariter eſt malum paſſionis, quantum erat malum actionis. Porrò; cùm conſvetudo ſit legis; hinc & obligationis legalis ſinceriſſima & certiſſima interpres eſt. Adeóque dum conſvetudo bene fundata, legem aliquam ſub gravi obligatione recepit, cenſeri debet graviter obligare, etiamſi in alia Provincia non niſi venialiter obliget.

69. In his concordant Doctores omnes, ſicut & in illo, quòd non poſſit legislator præcipere rem undequaque levem ſub gravi culpa. *Ratio*: quia obligatio gravis non recipitur niſi in ſubjecto capaci, materia autem levis non eſt ſubjectum capax obligationis gravis, hoc ipſo, quòd aut honeſtati aut fini à legislatore intento graviter non repugnare ſupponatur. ergo. Tum etiam quia nec legislator Eccleſiaſticus à DEO, nec Civilis à populo talem accepit poteſtatem, Unde, ſi lex prohibens rem levem ſub pæna capitis, ſit injuſta, propter exceſſum; quidnî à fortiori illa, quæ vetat rem levem ſub pæna damnationis æternæ?

70. Sed valdè controverſum, an materia gravis nequeat recipere levem obligationem. Mezger *De legib. Diſp. 35. art. 5. n. 16.* Wenzl *De LL. q. 4. §. 8.* Schmier *lib. 1. tract. 1. c. 1. ſect. 3. §. 5. n. 402.* & alij, inter quos eſt noſter Vanzoy, Diſtinquunt. concedendo materiam materialiter gravem ſub obligatione levi præcipi poſſe. Negando; materiam formaliter gravem ſic poſſe imperari. Nam (inquiunt) ſi Legislator perpendat omninò exigere ſalutem Reipublicæ, ut materia de ſe gravis ſub mortali præcipiatur, ex juſtitia legali debebit obligationem gravem injungere, cum aliàs bonum publicum, ad cujus conſecutionem, & conſervationem poteſtas legislativa per ſe tendit, magìs perderet, quàm promoveret. Doctores iſti aliquid dicunt, quod aliunde verum, ſed quæſtionem non ſolvunt.

71. DICO igitur Legislatorem poſſe rem gravem præcipere aut prohibere ſub peccato levi, ita ut non niſi leviter obligentur ſubditi, licet poſſit ipſe graviter peccare obligationem graviorem non imponendo. *Ratio*: quia vis obligandi, potiſſimùm pendet à voluntate legislatoris, ergo poteſt, vel leviter, vel graviter obligare ſuppoſitâ materiæ capacitate. Atqui materia capax obligationis gravis, eſt etiam capax obligationis levis. ergo. Si

72. DICAS non poteſt legislator rem levem ſub gravi peccato præcipere aut prohibere, ergo nec gravem ſub levi. ℞. *N. conſeq. Diſp.* eſt: quòd materia levis non ſit capax obligationis gravis, utpote ipſi improportionata. Materia autem gravis, cùm ſit capax majoris, etiam minoris obligationis capax eſt, cujus capacitatem legislator non tenetur adæquare.

73 INSTABIS. Condens legem non poteſt impedire quò minùs obliget. ergo condens in materia gravi non poteſt impedire, quò minùs obliget graviter. ℞. *N. conſeq. Diſp.* eſt; quòd obligatio

in

in genere ſit à lege inſeparabilis. Quia lex à ligando dicta. Obligatio autem tanta, aut tanta ſit Legi *ut ſic* accidentalis, adeóque per legislatorem impedibilis.

74 Nunquid (AIS) peccaret legislator, ſi in materia gravi & ad bonum commune graviter conducente, tantùm obligaret leviter? ℞. *concedo* peccaturum, ſed *nego* non poſſe, licet peccando, leviter obligare, ſi enim (licet peccando) pro magna utilitate communi nullam ferret legem, populus nullatenus obligaretur; cur ſi ferat, licet peccando lethaliter legem ſub veniali, populus non obligabitur ſub ſolo veniali, ſed neceſſariò ſub mortali?

75. REPLICABIS. Nec lex Naturalis, nec Divina poſſunt obligare ſub veniali in materia gravi, ergo nec humana. ℞. *Conc. Ant.* quò ad legem naturalem, ſed *nego* quô ad Divinam. *Ratio Diſpari.* eſt; quia obligatio Legis naturalis oritur ex ipſis rebus, obligatio autem legis poſitivæ, à voluntate legislatoris, quæ ſicuti totam legem auferre poteſt, ita quoque poteſt ex cauſa illam diminuere.

§. IX.

An leges humanæ obligent cum periculo vitæ, aut alterius damni notabilis?

76. L*Eges* inquam *humanæ*. Nam legem naturalem obligare cum vitæ periculo, quando materia legis continet abſolutam & intrinſecam turpitudinem vel inhoneſtatem certum eſt. *Dico abſolutam*, aliud enim eſt, ſi conditionatam contineat. Sic, tametſi reddere depoſitum, reſtituere debitum, ex Jure naturæ teneamur; equidem quia jus naturæ ad ſimiles actus non obligat *abſolutè*, ſed conditionatè, ſuppoſitâ nempe liberâ obligandi voluntate, hinc ſi inde inmineret mortis periculum, ad eoſdem actus non obſtringeremur eò quòd ex mente paciſcentium credibile non ſit, quempiam, ſe cum tanto rigore obligare voluiſſe.

77. Non minùs certum contra Cajetanum, alióſque quos citat Suarez *lib 3. De LL. cap. 30. n. 3.* legem poſitivam Divinam, licet obligare poſſit cum periculo vitæ; cùm DEUS ſit vitæ necíſque Dominus, non tamen ſemper ita obligare, ídque ex naturali ſua bonitate & clementia ut conſtat ex 1. *Reg. cap. 21. & Matth.* 11. ℣. *29. & cap.* 12, *v.* 3. & ſeqq. quo poſteriori loco Chriſtus approbat factum Da-

 vidis,

vidis, qui panes propoſitionis (quorum eſus alijs, quàm Sacerdotibus Jure Divino interdictus erat) fame urgente comedit. Itidem ibidem exculpat Diſcipulos, qui propter neceſſitatem ſpicas Sabbatho vellebant.

78. De lege autem humana eſt quæſtio; Sed nec hîc quæritur, an liceat transgredi legem, ſi eam ſervando moriendum eſſet, quia transgreſſio legis ſemper importat peccatum, quod ne quidem ad totum mundum ſalvandum committendum, ſed diſceptatur; an ſi moriendum eſſet, dum lex obſervaretur, an inquam tunc deſinat obligare ad ſui obſervantiam? ſeu, an tali caſu lex eſſe deſinat.

79. DICO. Lex humana *regulariter* non obligat cum periculo vitæ, famæ, mutilationis membrorum, amiſſionis integræ, aut notabilis partis bonorum, aut gravis alterius mali. *Ratio:* quia lex non obligat, nec obligare poteſt, ed moraliter impoſſibile, atqui obſervantia legis, quando vita, fama, &c. periclitatur, eſt moraliter impoſſibilis, utpote ob ſui difficultatem moraliter ſuperans humanam fragilitatem. Itaque deeſt legislatori humano in tali caſu poteſtas ad taliter obligandum, cùm non poſſit de fama, vita, aut bonis ſubditorum diſponere, niſi id exigente extrema, aut admodùm gravi Reipublicæ neceſſitate: penes quod diſtinquitur legislator humanus à Divino, quòd ille nequidem ſic obligare poſſit, hic verò licet poſſit, interdum tamen ſic obligare nolit. Ex quibus

80. DEDUCUNT DD. *imò.* Carthuſianum, cui eſus carnium vi Regulæ interdictus eſt, poſſe, imò ex lege naturali debere, ne ſit ſuîcida, comedere carnes, ſi alijs cibis deficientibus, fame periturus eſſet. *2dò* poſſe Sacerdotem metu mortis coactum, celebrare ſine lumine, ſine veſtibus ſacris. Non recitare breviarium: poſſe Catholicum die veneris comedere carnes, non audire ſacrum die Dominico, non communicare in Paſchate, &c. quia non cenſetur benigna Mater Eccleſia cum tanto diſcrimine ad leges ſuas obligare. Excipe tamen niſi ſimilia fieri, aut omitti juberentur in contemptum Religionis.

81. *Dixi Regulariter.* Nam lex humana obligat etiam cum vitæ periculo, quando magis conducit ad bonum commune legem obſervari, quàm vitam conſervari, aut quando legis violatio cederet in contemptum DEI, Religionis, fidei, aut poteſtatis legislativæ. *Ratio 1. partis* eſt; quòd bonum commune prævaleat privato ſicut totum

cor-

corpus præponderat uni membro. Et hinc eſt, quòd Epiſcopus præcipere poſſit Sacerdotibus curatis, & Magiſtratus Medicis, ut maneant in Civitate tempore peſtis, illi ut animabus, hi ut corporibus conſulant. Hinc & tenetur miles cum vitæ periculo hoſtem aggredi, muros civitatis conſcendere, in ſua ſtatione ſubſiſtere, bono nempe exercitûs id poſtulante. *Ratio 2dæ partis* eſt, quia, dum quid redundat in contemptum fidei, Religionis, aut poteſtatis legislativæ, redundat ex conſequenti in contemptum DEI, quem poſitivè inhonorare, ſemper intrinſecè malum & ideo laudatur Eleazarus, qui ne adoleſcentiores ſcandalizaret, potiùs mortem oppetere elegit, quàm ſimulare ſe carnes, lege prohibitas comediſſe.

§. X.

Quæ ſit materia per legem Humanam præceptibilis.

82. LEgem humanam ſolos actus humanos præcipere poſſe in Aprico eſt, cùm illorum, & non aliorum ſit regula. Certum quoque contra impios Machiavelliſtas, non poſſe præcipere actus malos, ſive externi ſint, ſive interni, cùm nemo ad peccandum obligari poſſit. Nec minùs dubium, quin lex humana præcipere aut prohibere poſſit actus externos ex objecto, & ſecundùm ſpeciem indifferentes. v. g. geſtationem armorum de nocte, cùm poſſint tales actus in individuo, interdum bono communi expedire, interdum adverſari. Potiſſima verò difficultas eſt an humana lex poſſit etiam præcipere actus merè internos bonos; aut prohibere malos? *Dico: lex humana*, quia rurſus de Divina lege non poteſt eſſe quæſtio, cùm æque potentiæ internæ, intellectus, memoria, voluntas, quàm externæ, Divino Numini, renes, & corda ſcrutanti, pateant.

83. Propius ad rem veniendo, ſuppono, actum internum dici, qui intra latebras animæ conſiſtit, qualis eſt intellectio, volitio. Et hujusmodi actus dicuntur occulti *per ſe*, ad diſtinctionem occultorum *per accidens*, qui ſunt actus externi nemine præſente patrati, qui abſque dubio legibus humanis præcipi, aut prohiberi poſſunt, cùm ex natura ſua cadant ſub ſenſum.

84. Cæterùm, actus internus trifariè ſpectari poteſt. *1mò*. Ut nullatenus connectitur cum actu externo. v. g. mera voluntas jejunandi. *2dò*. Ut connectitur per accidens. v. g. voluntas jejunandi ad

ad obtinendam pluviam. *3tiò.* Ut connectitur per ſe. Quod rursùm tripliciter fieri poteſt. *1mò.* Quatenus requiritur ad moralitatem actus externi. *2dò.* Non tantùm ad moralitatem, ſed etiam ad hoc, ut ſit talis ſpeciei. *3tiò.* Ad hoc, ut ſit moralis talis ſpeciei, & debitè fiat. Exemplificatur hoc in præcepto recitandi horas canonicas. Ubi actus internus *1mò.* requiritur, ut quis ſcienter & liberè legat, proinde ut actus recitationis ſit moralis. *2dò.* Aut fiat recitatio non ex curioſitate, aut ſtudij cauſa, ſed maximè, ut fiat ex intentione orandi, adeóque ut actus ille ponatur in ſpecie orationis. Denique *3tiò.* Ut fiat cum Devotione ſcilicet interna, ut non ſit orationis larva, ſed mentis in DEUM elevatio. Pro reſolutione

85. DICO *1mò.* Poteſt lex humana tum Civilis, tum Eccleſiaſtica ſaltem indirectè præcipere aut prohibere actus internos, per ſe externis connexos; ſive illos, ſine quibus non eſſet actus externus debitè poſitus. Ita DD. communiter.

86. De lege civili non obſcura extant indicia *in L. poſſeſſio 1. §. 3. & ſeq. L. poſſideri 3. in princ.* & paſſim *in ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* ubi ad poſſeſſionem animus poſſidendi, unà cum apprehenſione externa requiritur. De lege Eccleſiaſtica res penè caret dubio. nam in *cap. dolentes. 9. de celebrat. Miſſ* in recitando breviario præcipitur oratio, & devotio, ſed niſi quis legendo horas intendat orare, & interius attentè oret, non ponit orationem. Dein; *in cap. commiſſa 35. De Elect. in 6.* proviſis & promotis ad beneficia Parochialia ſub privatione & reſtitutione fructuum injungitur, ut habeant animum recipiendi presbyteratum intra annum. *in cap. omnis utriúſque 12. De pænit. & remiſſ.* Præcipitur annua confeſſio, quæ præter manifeſtationem ſecretorum cordis malorum, internum quoque dolorem includit. Quin & Alexander VIII. hanc proſcripſit propoſitionem: *qui fecit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* & hanc Innocent. XI. *præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* ergò. *Ratio* autem utriuſque eſt, quia qui poteſt unum præcipere, poteſt & aliud, ſine quo illud non poteſt obtineri. Atqui poteſtas Civilis & Eccleſiaſtica poteſt præcipere in certis occaſionibus, verùm contractum, verùm Juramentum: ergò & actus internos, ſeu voluntatem contrahendi, jurandi, ſinè qua hujusmodi actus non ſubſiſtunt. Confer Joannem Cardenas in criſi Theolog. *Diſſert. 34. cap. 2. art. 1. n. 1.*

87. OP-

87. OPPONES. Finis proprius poteſtatis civilis eſt, pax & conſervatio Reipublicæ: ille autem obtineri poteſt per ſolos actus externos. ergò. ℞. obtineri quidem aliquando poſſe, ùt dum v. g. exigitur ſolutio tributorum, reparatio viarum. Sive enim quis etiam invitus ſolvat, aut reparet, legi equidem obſecundat; non tamen ſemper, ùt patet, dum exigitur Juramentum quod non ſtat ſinè jurandi intentione.

88. INST. Modus rei præceptæ non cadit ſub præceptum. ergò Eccleſia nequit præcipere orationem v. g. cum devotione interna, communionem in gratia. ℞. *Diſt. Ant.* modus extrinſecus rei præceptæ. *Trans.* Sic quis ſatisfacit præcepto jejunij, licet jejunet ex avaritia, aut vana gloria. Modus intrinſecus, & à re præcepta inſeparabilis N. jam autem quomodo ſubſiſtet oratio, ſinè mentis in DEUM elevatione, quomodo communio, quæ debet eſſe ſpiritualis animæ refectio, ſi in ſtatu peccati quis mortem ſibi manducet?

89. REPL. Qui Baptiſmum indignè, & cum obice, ſuſcepit ſatisfecit præcepto Baptiſmi, ergò & præcepto communionis. ℞. *N. conſeq Diſp.* eſt, quòd Baptiſmus non ſit iterabilis, & remoto obice, gratiam cauſet regenerantem, ſecus Evchariſtia, quæ ſemel indignè ſuſcepta non reviviſcit ad gratiam remoto quantumvis obice.

90. DICO 2dò. Tametſi poteſtas civilis nequeat præcipere aut prohibere actus merè internos, aut etiam ſolùm per accidens externis annexos, id tamen valet poteſtas Eccleſiaſtica.

91. *1ma pars* ex dictis eruitur, quia poteſtas civilis propriè & proximè ordinatur ad communitatis tranquillitatem, quæ cùm obtineri poſſit, ſine actibus merè internis, aut etiam ſolùm per accidens exterioribus annexis, ad illos ſe haud extendit. Juvat, quòd legislator civilis poteſtatem ſuam immediatè habeat à populo, qui cùm poteſtatem non habeat in hujusmodi actus internos, nec potuit illam in alium transferre.

92. *2da pars* quam tuentur *Gloſſa in Clement. 1. §. verum. V. eo ipſo.* Roſella verb. *Abſolutio n. 28. & 29.* Joannes Cardenas *in cris. Theolog. Diſſert. 34. art. 2. & ſeqq.* Medina, Steyazt. Hen. plurésque alij. *Probatur*; quia potuit Chriſtus, qua homo - DEUS Eccleſiæ Sponſæ ſuæ, hanc poteſtatem concedere, cùm quivis ſuperior poſſit per alium præcipere, vel prohibere, quod per ſe ipſum immediatè poteſt. ergò defacto conceſſit, cùm ei id omne conceſſerit, quod ad animarum ſalutem promovendam ſpectat, nihil autem magìs conducit,

aut retrahit, quàm actus interni. Igitur ſicut Chriſtus præcepit actus merè internos actus Fidei, ſpei, & Charitatis, ſicut & peccatorum internam confeſſionem; ità & Eccleſiæ contulit conſimilem præcipiendi authoritatem.

93. CONFIRMATUR *1.* Quia jus, poteſtas, ac obligatio paſcendi oves, non tam circa corpora, quàm animas occupatur, quippe, quæ à temporalibus abſtrahi ad æterna, à ſenſibilibus trahi ad ſpiritualia & inſenſibilia debent. Igitur jus & obligatio ſummo orbis Chriſtiani capiti comiſſa, magìs inquàm externos reſpicit actus. *2dò.* Cui conceditur finis, conceſſa debent eſſe & media ad finem conſequendum neceſſaria, per *cap. præterea 5. De officio & poteſtate jud. Deleg.* Atqui poteſtas Eccleſiaſtica habet pro fine beatitudinem internam & ſupernaturalem. ergò ad eam obtinendam neceſsè eſt, habeat media neceſſaria: hæc autem ſunt actus interni, à quibus actus externi valorem ſuum, & vim merendi aut demerendi nanciſcuntur. ergò. *3tiò.* Pontifex defacto varias leges de actibus internis edidit, ut patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. in Decreto de ſacra Evchariſtia*, ubi omnibus Chriſti fidelibus interdicit, ne poſthac de Sacratiſſima Evchariſtia aliter credere, docere, aut prædicare audeant, quàm ex hoc præſenti decreto explicatum, ac definitum. Patet quoque ex varijs propoſitionibus damnatis, circa actus internos, atque ex praxi Prælatorum Regularium præcipientium, meditationem, recollectionem ſpiritualem, &c.

94. OPPONES *1.* cum Suarez Poteſtati Eccleſiaſticæ, ad aſſequendum finem ſupernaturalem, ſufficit facultas præcipiendi indirectè actus internos modo nempe ſenſibili, quatenus cum externis conjuncti ſunt, quô pactô per ſacramenta ſatìs fini ſupernaturali proſpicitur, licèt ſigna ſint ſenſibilia & actibus externis perficiantur. ℞. *N. Aſſumpt.* Tum quia actus internus directè per ſe, & immediatè ordinatur ad finem legislatoris Eccleſiaſtici, actus verò externus, ſolùm indirectè & mediatè, in quantum ab interno emutuat formalem & eſſentialem meriti virtutem; tum quia etiam poteſtas civilis habet indirectam facultatem præcipiendi actus internos; proinde niſi poteſtati Eccleſiaſticæ tribuatur facultas directa in actus internos non erit diſtinctio inter hanc & illam. Tum denique quia ideo actum internum cum externo colligatum præcipit Eccleſia, quia ad finem, & ſcopum ſuum ejusmodi actum videt eſſe appoſitum. Atqui non minùs actus merè internus eſt appoſitus ad illum finem ergò. Porro; quam-

quamvis Sacramenta tanquam ſigna viſibilia à DEO inſtituta ſint, id tamen ex alia ratione factum non creditur, niſi quia homo corporeus & viſibilis, & Eccleſia de ſuſceptione vel collatione Sacramentorum experimentum, acquirere non poſſit, niſi per actus externos peragatur, verùm ut Sacramenta nobis ſalutaria reddantur, & gratiam conferant, ſigna, actúsque externi haud ſufficiunt, ſed præcipuè ſpectantur actus interni, videlicet intentio Miniſtri, nec non animus ac diſpoſitio ſuſcipientis. Proinde ſacramenta tanquam mirifica ſalutis remedia, internis potiùs, quàm externis perficiuntur actibus.

95. OPPONES *2dò.* De quo humana poteſtas nequit cognoſcere, de eo nequit legem condere, ſed humana poteſtas etiam Eccleſiaſtica, nequit de actibus internis cognoſcere, hoc enim ſolus DEUS, utpote ſcrutator cordium ſibi reſervavit. Ut patet ex 1. *ad Corinth. cap. 4. ℣. 5. & ex cap. ſicut tuis 33. & cap. tua nos 34. De ſimonia.* Unde bene Ulpianus *in L. 18. ff. De pœn. cogitationis pænam nemo patitur.* ℞. *Diſt mi.* Humana poteſtas, nequit de actibus internis cognoſcere in forma judicij contentioſi & ſententiæ Conced. in forma legis & conſtitutionis N. quantumvis igitur humana, & Eccleſiaſtica poteſtas, tantâ potentiâ non fulgeat, ut ſecreta humanorum cordium penetret, & peccata in occulto perpetrata in forma & figura Judicij, quod teſtibus & inſtrumentis eget, diſcutiat, poteſt nihilominus per Legem generalem ordinare, ut quicunque hæreſim v. g in mente fovere, aut propoſitioni contra fidem pertinaciter inhærere præſumpſerit, excommunicationi latæ ſententiæ obnoxium ſe ſciat. Neque tunc opus eſt ſtrepitu forenſi, ut pæna mandetur executioni, quandoquidem ipſa conſcientia, ſinè facto hominis comiſſi ſceleris vindictam ſuſtineat; ut potiùs ſibi ipſi ſit ultrix. Taceo quòd & Eccleſia actus merè internos defacto præmiet Theſauro indulgentiarum: Porrò Apoſtolus *loc. cit.* redarguit Corinthios, qui contemnebant Apoſtolos, docétque non eſſe temerè judicandum de miniſtris DEI, maximè ab illo, qui non eſt judex competens. Quando autem dicit: *nolite ante tempus judicare, &c.* loquitur de judicio perſonæ & delicti particularis, quod DEO reſervatum.

96. OPPONES *3tiò.* Eccleſia viſibilis & ſenſibilis non habet directè poteſtatem, niſi in homines ſenſibiles, ac in animas, ut corporibus unitas ergò à pari non habet directam poteſtatem in actus purè internos, ſed in eos qui ex internis & externis componuntur. ℞. *Diſt. ant.*

Eccleſia viſibilis & ſenſibilis non habet directè poteſtatem, niſi in animas ùt corporibus unitas, ità ut reduplicatio importet tempus per modum conditionis, ut ſenſus ſit; tunc, dum animæ ſunt corporibus unitæ *Trans.* ut importet principium actionis præceptæ vel prohibitæ, & ſenſualitas ſit ratio formalis N. alioquin Eccleſia nec indirectam haberet poteſtatem in actus internos, nec poſſet directè producere in voluntate vinculum entitativè & ſubjectivè ſpirituale, nec illud deſtruere, neque irritare votum ſimplex aut purè mentale, nec reſtringere jurisdictionem confeſſarij, nec meditantibus & orationi mentali vacantibus concedere indulgentias, &c. quæ omnia falſa ſunt.

97. URGEB: *1.* In ſcripturis nullum eſt indicium hujus poteſtatis. *2.* Pontifices nullibi agnoſcunt hanc in ſe poteſtatem, ſed potiùs ubique ſignificant actum purè internum eſſe extra ſuum forum. *Incognita illi ſunt relinquenda, qui ſolus novit corda filiorum hominum.* NB. inquiratur textus *Can, 202 q. 5.* & *cogitationis pœnam nemo patitur. Can. cogitationis Diſt.1.* Ad *1. Urgens.* ℞. 1. Tranſ Ant. quia non omnia ſcripta ſunt quæ fieri poſſunt, & decet, ubi enim ſcriptum celebrandum eſſe diem dominicum? hanc ſcripturam eſſe verbum DEI verum? verùm edic, ubi hæc poteſtas legitur Eccleſiæ denegata? ℞. 2. *N. Aſſump.* textus enim ille *Matth. 16. quodcunque ligaveris, &c.* eſt generalis, & conceſſio Principis eſt amplæ interpretationis, niſi ulla magni ponderis obſtet ratio, cujusmodi non obſtare demonſtratum ante. Ad 2. ℞. N. Ant. ex dictis *n. 93.* Porrò cogitationis pœnam nemo patitur in foro externo & contentioſo C. in foro interno & conſcientiæ N.

98. REPLICABIS *1mò.* Lex quæ non poteſt cogere ad actum quem præcipit, eſt inutilis, atqui lex Eccleſiaſtica non poteſt cogere ad actum internum, nec de illo ſententiam ferre, cùm eundem non cognoſcat ergò. *2dò.* Jejunans ex avaritia ſatisfacit præcepto jejunij impoſiti ad obtinendam pluviam; ergò non præcipit Eccleſia actus internos. *3tiò.* Jurisdictio Eccleſiaſtica fundatur in ſocietate fidelium ſenſibili & viſibili, ergò tantùm extendit ſe ad actus ſenſibiles, ſeu externos. Ad 1. *Replicam* ℞. *Diſt. Ant.* Lex eſt inutilis, quæ non poteſt cogere per ſententiam generalem aut particularem *Trans.* quia, licèt in Principe, in ordine ad ipſum obligandum, vis coactiva ſejungatur à directiva, non tamen ideo lex eſt inutilis; regulat enim adhuc & dirigit actiones; quæ non poteſt per particularem, poteſt equidē per gene-

generalem v. g. prævaricatores omnes cenſura notando N. cæterùm etſi nulla feratur ſententia in perſonam particularẽ,& poſt crimen niſi præceſſerit cognitio,poteſt tamen ferri per modum conſtitutionis generalis, pænam infligentis prævaricatoribus, abſque cognitione criminis ab hac individua perſona patrati. Ad 2. ℞. *Diſt. conſeq.* non præcipit omnes actus internos C. aliquos ſpeciatim ad finem æternæ beatitudinis conducentes N. ad hæc finis jejunij intrinſecus & eſſentialis eſt carnis mortificatio, quæ habetur etiamſi aliquis ex avaritia jejunet, & ſic meritum auferat jejunio. Ad 3. ℞. *Diſt. Ant*, Fundatur in ſocietate fidelium viſibili ibi ſiſtendo N. in ſocietate viſibili perducenda ad finem inviſibilem, quæ præcipuè fit actibus internis C. ex his jam.

99. COLLIGES. Quid dicendum ad aliquos paſſus D. Thomæ præſertim. *1. 2. q. 91. art. 4. & 2. 2. q. 104. art. 5. & in 4. Diſt. 18. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 1.* dicendum enim: illum loqui de actibus, prout cadunt ſub judicium, & ſententiam ferendam circa debitum particulare, quo ſenſu requiritur actus ſint externi, & ad ſenſum manifeſti, nec enim in Tribunali ſivè contentioſo, ſivè pænitentiali & voluntario quis abſolvi, ligari, aut puniri poteſt, niſi delicto cognito & manifeſtato. Aliud verò utique ſenſit S. Doctor de ſententia generali, quam fert interdum lex, ſtatuendo pænam ipsô factô incurrendam, & ad hoc non eſt opus cognoſcere an hic vel ille in particulari ſit reus, ſed ſatìs eſt, quòd legislator cognoſcat generatim, actum quem prohibet, eſſe perniciosum fini per ſe ab Eccleſiaſtica politia intento.

§. XI.

Qui nam præterea actus præcipi aut probiberi per legem poſſint?

100. INveſtigandum hìc, quinam actus ponant legis materiam, an futuri tantùm, an verò & præteriti & præſentes? ℞. Diſtinquendum, inter legem conſtitutivam, ſeu imperativam, quæ novum jus inducit, & declarativam, quæ novi Juris nihil importat, ſed tantùm declarat, quid ſecundùm Jura hactenus uſitata fieri aut non fieri debeat. Quantùm ad legem conſtitutivam, certum eſt, illam omninò futura comprehendere, nec trahi ad præterita cùm natura

legis ſit futuris tantùm, non etiam præteritis, dare formam negotijs. *L. 7 C. De LL. & cap. cognoſcentes 2. cap. quoniam ult. De conſtitution.* intentum enim legis eſt, obviare hominum cupiditatibus; eorúmque vitam conſtringere, ut intelligi antea debeat. *L. Leges. 9. C. De LL.* Prætera Lex eſt regula agendorum; quæ ſupponi debet ad opus, cùm ſuo modo ſit principium actionis, atque ità futuræ actioni tantùm neceſſaria, non etiam jam exercitio. Zoës, *ad ff. lib. 1. tit. 3 n. 43.* Tum etiam quia actus præteriti, reſpectu novæ legis præcipientis, vel prohibentis, ſunt impoſſibiles, factum enim infectum fieri nequit. Tum denique; quia ex dicendis §. *13.* Lex non promulgata, non obligat, ergò actus præteriti non cadunt ſub obligationem legis, horum quippe reſpectu Lex ſubſequens ità ſe habet, ac ſi nunquam promulgata fuiſſet. Confer *Panormit. in cit. cap. cognoſcentes n. 1. & 2.* Gonzalez *ibid. n. 15.* Fagnanum *ad dict. cap. ult. num. 4.*

101. Quantùm ad legem pænalem & vindicativam, illa non retrotrahitur ad actus præteritos jam conſummatos, & non habentes tractum ſucceſſivum, ſi antecedenter nulla lege erant prohibiti. ità Zoës *loc. cit. n. 44* Ratio *primæ partis* eſt, quia lex *propriè* pænalis fertur ob præcedentem culpam. ergò cùm actus præteriti antecedenter nulla lege prohibiti, culpa vacent, erunt quoque immunes à pæna. Ratio *2dæ partis* eſt: quia actus contra legem prohibentem exercitus, cùm bonos mores, privatam & publicam ſalutem ofendat; legis indignationem provocat, ergò ferri poteſt Lex pænalis, actus contra legem prohibentem exercitos caſtigans. Sic uſuræ antecedenter prohibitæ, & perceptæ, dicuntur reſtituendæ, quòd earum retentio contineat peccatum, quod non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum ex nota parœmia Auguſtiniana in *cap. peccatum 4. De R. I. in 6.* Verùm hæc lex Canonica, non tam eſt imperativa, quàm Juris Divini declarativa. Dixi *Lex propriè pænalis*, ſiquidem pænæ impropriè dictæ, ſeu potiùs inhabilitates, quæ non tam ex culpa, quàm ex cauſa induci ſolent, quales ſunt irregularitates, impedimenta matrimonij contrahendi, &c. rectè ad actus præteritos extenduntur per *Can. 2. Diſt. 26.* ubi ex bigamia irregulares eſſe dicuntur, etiam infideles ad fidem converſi, ſi in infidelitate duo contraxerint matrimonia; cùm tamen tunc temporis, necdum ſubfuerint legibus Eccleſiaſticis. Sic & Trident. *Seſſ. 23. De Roformat. cap. 6.* Clerici in minoribus pro tunc conſtituti ante 24. ætatis annum inhabiles ad Beneficia Eccleſiaſti-

ſiaſtica pronunciantur. *Ratio* eſt quia legislator habet jus diſtribuendi bona & Jura communia, ergò ex cauſa poteſt quaſdam conditiones & qualitates, in ijs, qui ad hujusmodi bona, & Jura aſpirant, exigere; eósque excludere, qui ijs deſtituuntur. Verùm hæc excluſio nullatenus habet pænæ rationem. Vide quæ diximus in commentario ad Regulas Juris Canonici Reg. *Sine culpa, &c. XXIII.* præcipuè n. 5.

102. Differendo de lege declarativa, illa & præterita comprehendit Zoës *loc. cit. n. 46.* Fagnanus in *cit. cap. ult. De conſtit. num. 45.* Felinus *ibid. n. 4.* Vasquez *illuſtri. controv. cap. 44. n. 2.* & deducitur ex varijs utriúsque Juris conſtitutionibus, quæ ut plurimùm ad declarationem Juris dubij præexiſtentis emanârunt. *Ratio*: quia (ut inquit Vasquez) lex declarativa nihil denuò agit, ſed quod actum jam erat, detegit, arg. *L. hæredes 21. §. 1. ff. qv. teſt. fac. poſſ.* haud ſecus atque ſi ſpicas excuſeris frumenti, granáque antea occulta exinde proſiliant, quo caſu nihil te granorum feciſſe verum eſt, ſed tantùm ea, quæ ibi inerant detexiſſe. Dicta procedunt non tantùm quò ad ipſam obligationem, quæ non poteſt negari antea adfuiſſe tali legi, verùm etiam quò ad pænam, quæ debebitur ſi lex declaraverit illam de facto fuiſſe incurſam per actus contra legem priorem geſtos, præſupponunt enim culpam. Niſi juſta ignorantia excuſet; ut quia à viris doctis aliter lex antiqua fuerit intellecta, quàm indicet ſequens declaratio. Procedunt etiam quò ad actuum irritationem, quam non removet ignorantia, qui proinde iterandi ſunt, ut valere poſſint, quia hactenus non valuerunt ob prioris legis irritationem. Niſi defectus procedens ex Jure poſitivo, ſuppleatur per Authorem legis, qui actus priores validos habet. arg. *cap. aqua 9. De conſecrat. Eccles.* Confer. P. Schmier *lib. 1. Tract. 1. cap. 1. ſect. 2. §. 4. n. 189. & ſeq.*

103. PETES. An quis diverſis obligationibus ſeu præceptis ſatisfacere poſſit, per actus diverſos ſimùl exercitos? ℞. *Negativè* ſi poſitio unius impediat poſitionem alterius, *Affirmativè* ſi non impediat. *Ratio prioris*; quia tunc non ponuntur actus tales, quales requirunt ſingula præcepta, cùm ad minimum requirant actus in ſua ſpecie perfectos. Hinc qui debet v. g. ex obedientia pingere, non poteſt pingendo præcepto miſſam audiendi, aut horas Canonicas recitandi, ſatisfacere, cùm attentio, & applicatio ad picturam, tollat attentionem requiſitam ad auditionem Miſſæ, aut recitationem horarum. *Ratio poſterioris*; quia ſi unus actus non impediat alterum, non

non eſt potior ratio, cur uni, quàm pluribus ſatisfiat obligationibus? ſic poteſt quis peregrinans ex voto, in itinere ſatisfactionem Sacramentalem implere, aut officium Divinum perſolvere; audiens Miſſam die feſtivo, poteſt preces, ad quas aliunde ex voto, vel pænitentia, aut præcepto obſtrictus eſt perſolvere. Quia ut diverſis illis obligationibus ſatisfiat, ſufficit unica ad DEUM attentio, quæ per auditionem Miſſæ non tollitur, ſed potiùs acuitur. Sed

104. Poteſtnè quis per unicum actum diverſis ſatisfacere præceptis? ℞. *Affirm.* ſi ſingula præcepta eandem formaliter materiam præcipiant, & aliunde id, quod diverſis legibus præcipitur, debitè ponatur. Sic Subdiaconus Regularis unica horarum lectione ſatisfacit præcepto Regulæ, & præcepto Eccleſiæ. Sic & generali conſvetudine receptum, ſacerdotem habentem unum vel plura beneficia ſatisfacere unica recitatione horarum; nihil faciente titulorum multiplicatione, quia etſi multiplicentur, non tamen niſi circa idem, ut eam tollat una ſolutio. *arg. L. quibus 18. ff. De V. O.* Sic & unam Miſſam audiendo ſatisfit in caſu, quo plura feſta in eundem diem incidunt, & jejunando ſemel, ſatisfit, ſi in diem 4. Temporum incidat vigilia alicujus ſancti, indicens jejunium. vide Azor. *p. 1. lib. 10. cap. 7. q. 10.* Zoës. *ad Decretal. tit. 41. lib. III. n. 27.*

105. DICES. Si Titio debeam centum, & ſempronio centum, non ſatisfacio ſemel ſolvendo centum ſoli Titio. ergo. ℞. N. *conſeq. Diſp.* eſt, quòd in actibus juſtitiæ commutativæ attendatur æqualitas rei ad rem, ſeu dati, & accepti, debiti & crediti, & ſic non eſt mirum, quòd ſolutione Titio præſtita non ſatisfiat Sempronio. In adimpletione verò legis, ſpectatur intentio præcipientium, qui per leges diverſas poſſunt unicum actum intendere, equidem hoc in dubio non præſumitur, ſed potiùs judicandum, diverſis legibus actum diverſum eſſe præceptum, quia ſic communiter accidit. Itaque tenor legis, conſvetudo, circumſtantiæ, & arbitrium prudentum, penſanda ſunt; ad dijudicandum, an legislator per novam legem priori ſupperaditam augere ſolùm voluerit præexiſtentem obligationem, an novam per novum actum imponere voluerit.

106. PETES 2*dò*. Qualiter ponenda ſit materia præcepta? cùm lex alia ſit affirmativa, quâ præcipitur aliquid fieri v. g. confeſſio annua; alia negativa; quâ aliquid fieri vetatur, ùt comedere carnes die veneris. ℞. 1*mò* ad ſubſtantiam præcepti, non requiritur, ut id quod lex negativa prohibet, omittatur ſcienter, & liberè; *Ratio*: quia

quia lex negativa plus non vult, quàm ut non ponatur actus prohibitus, v. g. non comedantur carnes, non occidatur homo, &c. hinc præcepto abſtinentiæ aut jejunij quis ſatisfaciet, qui tota die abſtinentiæ vel jejunij dormiret. *Dixi ad ſubſtantiam*, quia, ut quis jejunando v.g. mereatur utique ſcienter & liberè abſtinere debet. ℞. 2dò. De materia legis affirmativæ, debet poni ſcienter & liberè, quia poſitio materiæ præceptæ debet eſſe actus humanus, qui ſolus à lege regulari poteſt. Recitans itaque horas in ſomno aut ebrietate non ſatisfacit præcepto.

107. PETES 3tiò. An quis teneatur removere obſtacula impedientia legis executionem? ℞. quivis tenetur illa impedimenta tollere, aut non ponere, quæ vel ex natura rei, vel proximè moraliter legis humanæ executionem impediunt. Nam præcipiens finem, cenſetur utique media ad finem vel ex natura rei, vel proximè moraliter neceſſaria præcipere. Proinde peccant qui Sympoſia, ludum lectúmve non deſerunt, quando urget tempus recitandi divini officij. Peccant quoque contra præceptum jejunij, qui ex ſua culpa incidunt in infirmitatem, ex qua prævident ſe à jejunio impediendos, qui breviarium unicum quod habere poſſunt lacerant, abjiciunt, quò prævidere poſſunt ſe horas non poſſe recitare, &c. *Dixi legis humanæ*, quia fas non eſt dubitare, quin teneamur omnia illa obſtacula removere, quæ per ſe ſivè remotè, ſive proximè executionem legis naturalis impediunt, hæc enim ſemper indiſpenſabiliter obligat. Unde graviter peccant confeſſarij, Advocati, Medici, Judices, &c. qui abſque debita ſcientia & experientia ſe ſe hujuſmodi obtrudunt muneribus, & interdum velut cæci de coloribus judicant. *Dixi etiam quæ ex natura rei vel proximè moraliter, &c.* Quia ſi impedimenta admodùm remotè, & per accidens ſe habeant, non ſemper tenetur quis ea tollere. Sic ex fidelium praxi & uſu, poteſt quis honeſtæ diſtractionis ergò venari, itinerari, aut laborare, eſto prævideat ſe exinde à jejunio eximendum, modò id non fiat in fraudem legis, ſeu ex intentione ſe ſe ſubtrahendi à legis obligatione. Sic & integrum eſt alicui, ex cauſa honeſta die veneris aut Sabbathi mane diſcedere, licèt die dominico non ſit habiturus occaſionem miſſam audiendi. *Dico ex cauſa honeſta*, quia qui ſe die veneris inebriaret, prævidens ſe inde Miſſam non auditurum die dominico, haud dubiè præceptum Miſſæ audiendæ violaret; quia hunc legislator à lege non cenſetur exemptum habere, ſicut priorem.

108. PETES *4tò.* An qui non poteſt totam legem debeat partem implere? ℞ *Affirm.* ſi pars, poni poſſit, & lex non ſit indiviſibilis. *Ratio*: quia ſola impotentia vel phyſica, vel moralis, ſicut à ſolvendo debito,ità ab obligatione implendæ legis excuſat. ergò, eſto, quis non poſſit totam, ſi tamen poſſit partem, hanc implere tenetur. Quapropter qui defectu breviarij non poteſt recitare matutinum, cum laudibus, tenetur ad alias horas, quas vel ſcit memoriter, vel ex diurnali legere poteſt. Ut patet ex hac ab Innocentio XI. proſcripta propoſitione: *qui non poteſt recitare matutinum, poteſt autem recitare horas* nempe diurnas *ad nihil tenetur, &c.* quòd ſi unam horam integrè perſolvere nequeat, non tenetur ad partem v. g. ad unum vel medium Pſalmum, cùm unaqueque hora præcipiatur ut actio perfecta, in qua ſalvetur ratio præcepti quæ tali parte non ſalvatur, ità ut non naſcatur obligatio ad illam dicendam. Sanchez & Suarez apud Zoës *tit. De celebrat. Miſſar. n. 38.* Hinc & qui non poteſt abſtinere à carnibus, poteſt autem à pluribus refectionibus, non poteſt duas integras ſumere, quia hìc reperitur virtualiter duplex præceptum, & abſtinendi à carnibus, & ſumendi unicam refectionem.

§. XII.

An jus ſubdito quæſitum per legem auferri poſſit?

AD intellectum & reſolutionem hujus quæſtionis plurimum confert quæſtio iſta: an præter ordinariam Principis poteſtatem, qua legibus ſuis quò ad vim directivam ſe ſubjicit, earúmque ordinationem non prætergreditur, detur in ſummo Principe poteſtas, quædam extraordinaria, quam alij dominium eminens alij jus abſolutum, alij plenitudinem poteſtatis appellant, quæque nullis publici Juris Regulis limitata ſit, cui nec ulla queat exceptio opponi, ſecundùm quam quidquid lubet, liceat? ſanè hujuſmodi abſolutæ poteſtatis acceptionem plerique improbant, tanquam inhumanam, cùm impugnet jus naturale & Divinum; quatenus dat illi licentiam, ſuum cuique auferendi ſinè cauſa; ut non tam videatur ſpectare ad poteſtatem legitimam, quàm ad Tyrannidem, cùm id ſolùm poſſit Princeps, quod Jure poteſt, Quare Cicero de iſta poteſtate, ut vocant abſoluta, agens; dicit peſtiferam eam videri, quippe in ſeditionem natam. videatur Covarruvias. *3. variar. reſol. cap. 6.* Zoës. *in lib. 1. ff. tit. 3. n. 35.* & noviſſimè P. Schmier *lib. 1. tract. 1. cap. 1. ſect. 2. §. 5. n. 205.*

n. 205. & ſeqq. Igitur, non eſt probanda taliter accepta diviſio in ordinariam & abſolutam poteſtatem. Dico, *taliter accepta:* nam ſi illam abſolutam vocemus, quâ ſuper humano Jure diſpenſat Princeps ſinè cauſa, meritò admittenta eſt, cùm certum ſit Regem v. g. aut Papam de plenitudine poteſtatis, ex certa ſcientia, aut motu proprio multa poſſe, quæ ordinariè non facit. Hac ratione tenet diſpenſatio ſuper lege humana, cùm ſit ſupra Jura à ſe poſita, licèt interdum videatur peccare contra juſtam legem ſinè cauſa diſpenſans, qua de re latè Covarruv. De matrimonio *p. 2. c. 6. §. 9. n. 15.* & Franciſc. Sarmient. *lib. 1. ſelect. interpret. c. 8. n. 14. & ſeqq.* Confer Zoës *loc. cit. à n. 57. uſque ad 42.* his præmiſſis ℟. &

110. Dico *1.* Princeps ſupremus, neque vi ordinariæ, neque vi poteſtatis abſolutæ poteſt ſinè cauſa jus ſubdito quæſitum auferre per legem. ità Andreas Gail *lib. 1. obſerv. 56. n. 2.* Joachimus Mynſingerus *ſingular. obſervat. centur. 5. obſer. 95.* Cavarruv. *lib. 3. variar. Reſolut. c. 6. n. 8.* Hugo Grotius, *De Jure Belli & pacis lib. 2. c. 14. n. 7. & 8.* & ex illo Vitriarius & alij paſſim.

111. Hujus aſſerti veritas præprimis apertè colligitur ex S. Scriptura *3. Reg. cap. 21.* ubi refertur Hiſtoria Naboth cujus vineam, dum Rex Achab conſimili deſpotica poteſtate occupaverat; mox per Eliam divino oraculo audire debuit. *occidiſti, & poſſediſti.* Quin & vindictam offenſi numinis, confeſtim ſenſit; dum Achab ut narratur *4. Reg. c. 10. v. 9. & ſeqq.* unà cum tota familia deletus eſt. Nam *propter injuſtitias Regnum de gente in gentem transfertur. Eccleſiaſt.* 10. ℣. 8. & quid æquius? nonne enim Juris naturalis præcepta: neminem lædere, jus ſuum cuique tribuere, cum damno alterius locupletiorem non fieri, &c. perinde Principem ac privatum ſtringunt? igitur, quia dominia Jure gentium introducta, non poſſunt ab eo, qui huic Juri reverentiam debet, auferri, aut confundi, ùt boni Principes ipſimet meritò fateantur ſe intuitu bonorum à ſubditis Jure proprietatis poſſeſſorum non dominos, ſed patres eſſe; non tam prodigere quàm protegere velle. *L. ſi quis filium 34. C. de inoff. Teſtam, Novel. 8. cap. 8.* Quapropter rectæ mentis Moderatores magìs amant Reipuhlicæ quàm fiſci compendium, ad Exemplum Tiberij, qui ſvadentibus Præſidibus augeri tributa, teſte Svetonio reſcripſit, boni Paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere.

112. DICES. Summo Pontifici, utpote ſupremo in Spiritualibus Principi, pleniſſima competit facultas circa res & bona Eccleſia-

ſtica diſponendi, per *cap. licet. 2. De Præbend. in 6. Clement. ſi duobus 1. ut lite pendente* ergò & alijs Principibus ſæcularibus immediatis & à nemine dependentibus, libera concedenda erit facultas circa res, & Jura temporalia ſubditorum. ℞. *N. Ant.* falſum enim eſt, vel ipſum Pontificem eſſe abſolutum rerum Eccleſiaſticarum Dominum, cùm non tam Dominus ſit, quàm divina ordinatione conſtitutus adminiſtrator: cui quidem indultum, circa res & Jura Eccleſiaſtica diſponere, ſed tunc, quando à nemine actu ſunt legitimè poſſeſſa & occupata. Alioquin nequidem de plenitudine poteſtatis absque legitima, & rationali cauſa jus alteri quæſitum auferre vult, aut poteſt. Confer. Panormit. ad *cap. conſtitutus 6. De Religioſis domib. à n. 12.* Cardinal. de Luca *De præeminentijs. Diſcurſu 40. n. 4.* & *Regalibus Diſc. 4. n. 10.*

113. DICO *2dò.* Poteſt Princeps ex cauſa neceſſitatis vel utilitatis publicæ jus quæſitum ſubditis auferre. ità DD. *1ma conclus.* citati. *Ratio:* quia poteſtas adimendi ſubditis jus antea quæſitum, in caſu nempe neceſſitatis, vel utilitatis publicæ eſt moraliter neceſſaria ad congruam Reipublicæ gubernationem. Tum etiam, quia ſi caſus neceſſitatis eveniat aliunde primæva redit rerum conditio. *Can. ſicut 8. Diſt. 47.* aut ſi caſus utilitatis publicæ emergat, dictat juſtitia legalis bonum publicum eſſe, privato anteponendum. *L. 5. §. ult. ff. de injur.* hinc bene Oratorum Princeps *lib. 2. De legib. respublica* (inquit) *nomen univerſæ civitatis eſt, pro qua mori, & cui nos totos dare & omnia noſtra ponere, & quaſi conſecrare debemus.*

114. Hæc igitur eſt illa plenitudo poteſtatis, hoc illud eminens, & altum dominium, hic abſolutus ille dominatus, quem melioris notæ interpretes, Principi adſtruunt, quòd nempe de civium bonis in caſu neceſſitatis, vel utilitatis publicæ diſponere valeat; prout ſalus, & neceſſitas flagitat: ſic in caſu irruptionis aut obſidionis hoſtilis, ſuburbia, hortos, ædes, quin imò & Eccleſias muris, & munimentis damnoſas dirui, & deſtrui poſſe docet antiquiſſima conſvetudo, in *L. ſi quando 9. Cod. de oper. public.*

115. Equidem quando ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis publicæ uni vel alteri de communitate jus ademptum eſt, illud proportionata contributione ab omnibus de communitate reſarciri debet. ità Fachinæus Vasquez, Ertl. apud P. Schmier *loc. cit. §. 5.* & deſumitur ex *L. mulier 6. De captio. & poſtlim.* & *L. multi 1. Cod. De navib. non excuſ.* *Ratio* eſt: tum quia æquitas poſtulat, ut communitas, quæ ex bonis

bonis ſubditorum utilitatem experta eſt, onus quoque proportionatum ſentiat. *L. ſecundùm naturam* 10. *ff. De R. I.* Tum quia onera communitatis per ſe communia, & non ſingularia ſunt. *L. Prætor ait.* 2. §. 22. *ff. nequit in loc. publ.* quocirca in *L. Rhodia ff. De jactu* diſponitur, ut quando lævandæ navis cauſâ jactus mercium factus eſt, omnium contributione ſartiatur, quod pro omnibus datum eſt.

§. XIII.

An & quomodo lex pænalis obliget in conſcientia.?

116. PArum foret crimina prohibuiſſe, niſi prohibitionem ſequeretur animadverſio pænalis in transgreſſores, ut quos virtutis ſtimulus haud cohibet, metus pœnæ ab inſolentijs arceat, & compeſcat: Cæteros meliores reddat, & ſublatis malis inſontes ſecuriores vivant, ùt ait Seneca *Lib. de ira c.* 16. oderunt enim, ùt Poëta canit, peccare boni virtutis amore: oderunt peccare mali formidine pœnæ.

117. Sunt autem pœnæ *imò* aliæ ſpirituales, aliæ temporales. Spirituales ſunt, quæ bonis, & juribus Spiritualibus; temporales, quæ bonis, & juribus temporalibus aliquem privant. *2dò.* Aliæ ſunt civiles, aliæ Criminales; illa parti læſæ applicantur per leges, cujus ordinis ſunt pœnæ delictis privatis propoſitæ; eò reducitur pœna conventionalis, cujus fit mentio *in cap. conſtitutus* 7. *de pœnis* quam contractui in certum caſum appoſitam, hinc inde exigi poſſe, textus ille tradit, niſi uterque eam violans, compenſari faciat. An autem quantitati, perinde ac ſpeciei apponi poſſit? Dubitatur. ℞. autem cum Zoës *ad tit. De uſuris n.* 11. Speciei debitæ apponi poſſe, non tantùm in duplum, verùm etiam in quadruplum, cùm non inſpiciatur: quatenus, & quanti interſit, ſed quæ pœna à partibus ſit taxata. Cujus ratio conſiſtit in evitanda difficultate probandi ejus, quod intereſt. *L. ſtipulatio iſta §. alteri ff. de V. O.* & ut pars faciliùs excitetur ad implendum contractum, in quo moram faciens, punitur ex proprio arbitrio. Cæterùm quantitati ſolvendæ apponi rectè non videtur, eò, quòd in fraudem uſurarum videatur adjecta. Quare, & talis pœna dicitur à Pontifice. *Cap. ſuam 9. de pœnis.* quæſtus inhoneſtus. Pœna Criminalis eſt, quæ ad vindictam publicam ſpectat, ut ſatisfiat Reipublicæ Læſæ, eáque vel eſt pecuniaria, vel corporis afflictiva,

& hæc vel capitalis, vel non capitalis, vide Zoës. *ad lib. 48. tit. 19. n. 6. & ſeqq.* Si hìc incidenter

118. ROGES: Quænam pœnæ in Eccleſia uſitatæ? ℞. imprimis pecuniaria, quam tamen non niſi Jure permittente judex Eccleſiaſticus imponet. Gloſſ. *pen. c. 3. de pœnis.* & exactam non tam uſibus ſuis reſervabit (quia hoc videretur prodire à radice avaritiæ) quàm in pios uſus diſtribuet. *C. 2. & 3. tit. Cit.* Datur & corporis afflictiva, citra ſangvinis tamen effuſionem, propter periculum irregularitatis; neque enim Eccleſia gladium habet, niſi Spiritualem, non ut occidat, ſed ut vivificet. *Can. inter cauſa 33. q. 1.* Recepta & eſt hoc Jure detruſio in Monaſterium, imò & carcer perpetuus. *Cap. novimus 27. De V. S.* ad peragendam pœnitentiam in pane doloris, & aqua anguſtiæ. Uſitata quoque fuſtigatio moderata, quæ non tranſeat in pœnam ſangvinis, ab Eccleſia prohibitam. *cap. 4. De Raptoribus.* item exilium. *c. 1. de Calumniator.* infamia *c. ſuper his 8. De pœnis.* privatio bonorum, ac jurium. *c. fin. eod.* inhabilitas ad munia Eccleſiaſtica etiam quò ad poſteros ad 1. vel 2. gradum, ùt patet ex *tit. de Hæret.* ubi Zoës. *n. 8.* vel etiam ad 4tum in caſu *Capit. penult.* excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum, de quibus vide Reiffenſtuel, & Theologos paſſim in tract. *de Cenſuris.* & Zoës. *ad tit. Juris Can. de pœnis à n. 6.*

119. *3tiò.* Pœna alia eſt ordinaria, ſive legalis, per legem præſcripta, quam judex inferior, niſi circumſtantiæ aliud poſtulent, mitigare, aut exaſperare non poteſt. Zoës. *De pœn. n. 16. & 17.* bene tamen ſummus Princeps. *ibid. n. 18.* alia extraordinaria, ſive arbitraria, nulla lege, aut ſtatuto definita, extra ordinem à judice imponenda pro facti qualitate, quia non omnes articuli poſſunt legibus aut Senatus conſultis comprehendi. *L. non poſſunt ff. de LL.* quin & hæc arbitraria pœna ad mortem uſque extendi poteſt â judice duntaxat ſæculari, ſi ità poſtulet criminis atrocitas, & ità habet textus *in L. Sacrilegij ad L. Juliam Peculatûs* ac firmat Abbas *in C. ex literis 11. De Conſtit.* Felinus. *ibid. n. 23.* Menoch. 1. *Arbitr. q. 86. n. 20.* Zoës. Schambogen, & alij *ad Tit. De pœnis.*

120. *4tò.* Magìs famoſa pœnæ diviſio eſt, quòd alia ſit latæ, alia ferendæ ſententiæ. *1ma* eſt, quando lex ipſa executorem quaſi agit, ſtatuendo, & inferendo ſupplicium mox ab ipſo transgreſſionis momento, quod tunc facere intelligitur, quando utitur verbis præſentis temporis indicativi modi. v. g. *excommunicamus, privamus, ſuſpendimus,*

dimus, &c. vel ſi adhibeantur verba: *ipſo Jure, ipſô factô excommunicatus, privatus, inhabilitatus eſt. &c.* Zoës *loc. cit.* Ferendæ ſententiæ pœna eſt, quando non ipſa lex pœnam exequitur, ſed alteri executionem demandat, ut ſi legislator vel tantùm comminetur pœnam v. g. *ſub pœna excommunicationis, confiſcationis, infamiæ, &c. veto, interdico;* vel aſſumat verba futuri temporis, v. g. *excommunicetur, ſuſpendatur, puniatur, excommunicabitur, ſuſpendetur, &c.* propiùs ad rem veniendo.

121. Notandum; Legem pœnalem, aut eſſe purè pœnalem, quæ ad pœnam duntaxat obligat, non ad culpam, aut mixtam, quæ obligat ad utrumque; illa enim, quæ tantùm obligat ad culpam, dicitur moralis.

122. Advertendum quoque, legem pœnalem tripliciter poſſe ferri. 1. Sub disjunctione v. g. *vel non transportabis frumentum in terras exteras, vel ſolves decem marcas auri.* 2. Copulativè v. g. *non transportabis frumentum, & ſi transportaveris, ſolves 100. florenos.* 3. Uno quaſi actu rem prohibendo, & pœnam transgreſſoribus imponendo. v. g. *prohibemus transportationem frumenti ſub pœna confiſcationis, exilij, &c.* pro reſolutione

123. DICO 1. Omnes leges pœnales, ſive Civiles, ſive Eccleſiaſticæ obligant in conſcientia, non tamen ſemper ad actum ponendum. vel omittendum, ſed interdum ad ſolam pœnam ſubeundam. *1ma pars* patet ex dictis ſupra §. *2da pars* etiam conſtat quia multæ dantur conſtitutiones, in quibus nec ex verbis Legislatoris, nec ex gravitate pœnæ, nec ex conditione materiæ colligi poteſt obligatio ad actum ponendum vel omittendum; ùt ſi prohibeatur ſæcularibus venatio, piſcatio, &c. aut Religioſis vigore conſtitutionum generalium certis horis præcipiatur ſilentium, manſio in cella poſt 8vam veſpertinam, &c. transgreſſoribus enim ſola pœna præſtituta eſt, abſque obligatione ad actum ponendum, vel omittendum.

124. Itaque lex purè pœnalis temporalis non obligat in conſcientia ad actum, ſed ad ſolam pœnam, ùt docent Suarez *de LL. lib. 5. c. 4. n. 9.* Palao. Caramuel. & alij. *Ratio* adæquata eſt, quia ſicut ex voluntate Legislatoris pendet, velítne legem ipſam condere, ſic quoque pendet ab ejus voluntate, quouſque legis obligationem protendere velit; atqui interdum Legislator non utitur verbis præcepti-

ceptivis, ſed legem merè pœnalem conſtituit. ergo inde ſufficienter patet, quòd ad ſolam pœnam obligare velit.

125. DICES: Omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, S. P. Aug. *Lib. 1. retract. cap. 9.* & res, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit, inquit Gregor. *in cap. cognoſcentes 2. De conſtitut.* Sed quæ culpa, quodnam peccatum, ſi non eſſet obligatio ponendi, vel ommittendi actum? Reſpondent DD. communiter, duplicem eſſe culpam, Theologicam nempe, & Juridicam, illa eſt deviatio à regulis morum, hæc deviatio à regulis bonæ politiæ, illa DEUM, hæc Rempublicam offendit; Sufficere autem culpam Juridicam ad incurrendam pœnam temporalem, habes ex dictis *ad Reg. 23. Juris Canon. in 6.* quæ ſic Sonat: *ſinè culpa, niſi ſubſit cauſa non eſt aliquis puniendis.*

126. Dictum (AIS) omnem legem pœnalem obligare in conſcientia, ſed obligatio in conſcientia oritur ex culpa Theologica? ℞. Legem pœnalem obligare in conſcientia, non ideo, quòd actus lege præceptus, vel prohibitus ſub peccato, & reatu culpæ Theologicæ ſit ponendus, vel omittendus, & quia actu omittendo, poſito, vel ponendo, omiſſo, conſurgat illico obligatio in conſcientia ad ſolvendam pœnam, ſi exigatur. Licèt enim regulariter nemo coactus ſit, ut ſe offerat ad pœnam, obligatur tamen quilibet, non reſiſtere ſuperiori, pœnam, etiam exculpa Juridica exigenti.

127. REPLICABIS: Tametſi Legislator ferat legem purè pœnalem, equidem vult actum, vel omiſſionem actûs, cùm pœnam eo fine adjiciat, ut actus eò certiùs fiat, vel non fiat. ℞. vult actum vel ſub culpa Theologica, vel Juridica C. ſemper ſub culpa Theologica N. Nam neque neceſſum eſt, neque expedit, multiplicare peccata, & culpas Theologicas, ne leges non tam alas addant, quàm compedes pro adipiſcenda æterna ſalute injiciant mortalibus.

128. Cæterùm lex pœnalis temporalis disjunctivè mixta, non obligat in conſcientia determinatè ad actum, aut ad pœnam, ſed indeterminatè, vel ad pœnam, vel ad actum, ídque ex mente Legislatoris, qui legem diſtinctivè concipiendo, ſatìs indigitat, ſe nolle determinatè ad actum obligare, cùm in alternativis electio ſit debitoris, & ſufficiat alterum adimpleri. *R. I. 70ma in 6.*

129. Notanter dictum: *Lex pænalis temporalis*; nam pœnæ ſpirituales, ut juſtè, & legitimè infligantur, culpam non qualemcunque, ſed Theologicam ſupponunt, per *Can. nemo 41. & ſeqq. cauſ. XI: q. 3.*

130. Quòd

130. Quòd ſi lex pœnalis conjunctivè mixta ſit, & verba certò præceptiva contineat, probabilius eſt, quòd ad actum, & pœnam obliget. *Ratio* ponitur in voluntate legislatoris, aliunde valentis taliter obligare. Tum etiam, quia adjectio pœnæ non alleviat, ſed aggravat obligationem. vide Covarruv. *ad Reg. peccatum p. 2. §. 5. n. 2. & 3.* Quamobrèm, ſi præcipiendo, aut prohibendo ſimpliciter actum, cenſeatur in conſcientia obligare, quidni ſimiliter obligaret, dum præcepto, aut prohibitioni legislator adjungit pœnam? falſum proinde eſt, quòd apponendo pœnam temporalem, cenſeatur æternam excludere; nec obſtat *cap. nónne de Præſcription.* ubi dicitur, quòd unum exprimens, & aliud tacens, cenſeatur id, quod reticet, excludere: intelligendum namque eſt, quando id, quod ſiletur, neceſſariò exprimendum eſt, quod non obtinet in legibus, quæ, niſi legislator contrarium inſinuet, ſemper ſupponuntur obligare in conſcientia, etſi de iſthac obligatione nulla fiat expreſſa mentio, prout evidentiſſimè patet in legibus totam Eccleſiam concernentibus, in quibus rarò fit mentio pœnæ æternæ, & nihilominus omnes ligant ſub reatu culpæ Theologicæ. Quid de pœnis latæ, & ferendæ ſententiæ?

131. DICO. 2*dò.* Quando pœna ſeu temporalis, ſeu ſpiritualis, eſt ferendæ ſententiæ; lex pœnalis non obligat ad pœnam ſive activam, ſive paſſivam ſubeundam, ante ſententiam condemnatoriam. Zoës. *ad tit. Jur. Can. De pænis n. 19.* & DD. paſſim. *Ratio* evidens eſt: quia per talem legem reus non eſt ad pænam condemnatus, ſed condemnandus, adeoque quàm diu pæna defacto non imponitur, poteſt eodem modo ſe gerere, acſi delictum haud commiſiſſet, lex enim iſta potiùs afficit judicem; qui ſi inferior eſt, tenetur pænas taxatas imponere.

132. DICO 3*tiò.* Quando pœna temporalis, & poſitiva eſt latæ ſententiæ, lex pænalis non obligat, ad ſubeundam pænam ante ſententiam declaratoriam criminis. ità Leſſius. *De I. & I. lib. 2. cap. 29. dub. 8.* Suarez, Molina, & non diſſentit Zoës. *Loc. cit. n. 22.* *Ratio*: quia leges non nimiùm aſperæ, & rigidæ, ſed moribus utentium, & humanæ fragilitati attemperatæ ſint, oportet. Atqui verò minùs attemperatæ forent, ſi ad pænas poſitivas ante ſententiam declaratoriam obſtringerent; deberet enim delinquens crimen ſuum occultum manifeſtando, ſui ipſius accuſatorem agere, quin & tortor, carnifex, & executor ſibi, rebúsque ſuis eſſe compelleretur, quæ

omnia ſi non impoſſibilia, ſaltem graviora ſunt onera, quàm ut hominum genio accomodentur.

133. DICO *4tò*. Quando pæna latæ ſententiæ eſt ſpiritualis, & privativa, vel negativa, lex pænalis ante omnem ſententiam, etiam declaratoriam criminis obligat in conſcientia. ità quò ad rem ipſam Zoës *loc. cit.* & DD. communiter. *1ma pars* probatur *ex cap. non dubium 5. de ſententia excommunicat.* Ubi Alexander III. declarat eos, qui violentas manus in perſonas Eccleſiaſticas injiciunt, ex conſtitutione Concilij, ſententiam excommunicationis incurrere. Atqui illi à primo commiſſi ſceleris momento, pœnæ excommunicationis ſubjacent, non expectatâ aliâ ſententiâ. & *Ratio* eſt: tum quia pœnæ ſpirituales, puta cenſuræ Eccleſiaſticæ, aut etiam irregularitas, non deſiderant externam executionem, cùm enim ſpiritualem animarum correctionem pro fine habeant, utique in foro animæ ſtringunt, eſto in foro fori, nec judicium, nec ſententia præceſſerit. Tum quia ſic commonſtrat uſus Eccleſiæ, cujus intereſt, occultas quoque transgreſſiones gladiô ſpiritualis imperij coërceri poſſe.

134. *Altera pars* probari ſolet *ex cap. cum ſingula 32. de Præbend. in 6.* ubi, qui ſecundum beneficium incompatibile cum primo ſunt adepti, ipſo Jure eodem privantur, quin &, ſi non ultrò ceſſerint, amittunt & ſecundum, & ineligibiles evadunt. Colligitur quoque *ex cap. ſuper hoc 3. & cap. ſignificaſti 9.* & *toto tit. De eo, qui duxit in matrim. &c.* ubi in pænam conjugicidij, & adulterij, impedimentum matrimonij in complices criminis abſque dubio ipſo facto, in conſcientia contrahendum, ſtatuitur. *Ratio*: quia Eccleſia ſic poteſt, & vult obligare, aliàs non diceret: *ipsó factó, ipsó jure, &c.* Dicta hæc firmius procedunt, ſi ultra verba *ipſe Jure privatus ſit*, additum ſit, *absque alia declaratione* vel *nulla monitione præviâ.* Hæc enim clauſula expreſsè excludit neceſſitatem ſententiæ declaratoriæ, ut lex ipſa per ſe pænam exequatur, utì poteſt, ne aliàs vana, & inutilia ſint ejusmodi verba. Hinc ſi

135. Dubium moveas, num illi, quorum bona ipſo Jure publicata ſunt, nullâ expectatâ ſententiâ ea tenentur ad fiſcum deferre? ℞. non teneri, ſed ſatisfacere, ſi patiantur ea ſibi auferri: ità, ut donec auferantur, rectè poſſideant, & ijſdem utantur fruantur. Cui argumento eſt, quòd in *cap. cum ſecundùm. De Hærtt. in 6.* ubi ipſo Jure publicantur bona hæreticorum, non imponat Pontifex hanc poſitivam obligationem, ſed judici det poteſtatem auferendi bona

à

à die commiſſi criminis, poſt declaratoriam ſententiam; & ità habet praxis uſitata, & tenet Covarruv. *in 4. p. 2. c. 6. §. 8. n. 11. & 12.* Zoës. *loc. cit. n. 24.* ſequitúrque ex dictis *n. 132.* Sed

136. QUÆRI poſſet: An in caſu legis ipſo Jure imponentis publicationem, amittat reus bonorum dominium? ℞. cum Zoës. *loc. cit. n. 21.* dominium quidem amitti ante ſententiam declaratoriam, non tamen poſſeſſionem, & uſum. quò facit textus *in cit. C. cum ſecundum.* ubi executio vel occupatio bonorum, differenda dicitur, uſque ad ſententiam declaratoriam criminis. Ut ut autem in caſu confiſcationis bonorum non teneatur Reus bona ſua fiſco offerre; tenetur tamen non occultare bona ipſo Jure publicata. Quod ſi equidem negligentiâ fiſci quædam ignorata, ſinè facto Rei non fuerint occupata, non tenebitur ea ultrò extradere. Satìs enim eſt, patiatur ablationem, nec tenetur indicare, quia ſic ùt inquit Zoës, obligaretur ad obligationem.

137. Quid ſi ſententia fuerit juſta quidem in foro exteriori, ſecundùm allegata, & probata; reverà tamen ſecundùm materialia cauſæ injuſta? ℞. det Zoës. *ibid. n. 25.* Reum quidem neutiquam obligari in conſcientia ad pænam, & poſſe illam honeſto modo evitare, v. g. ſubtrahendo res ſuas clanculò; nihilominus obſtrictum eſſe ad parendum judicis executioni, ſi ſinè violenta, & ſcandaloſa reſiſtentia vitari nequeat, quia reſiſtentia illa nunquam eſt licita, quando ſententia ſecundùm allegata, & probata eſt lata. Cùm pro ejus juſtitia præſumatur, & judex, quà miniſter publicus procedat, cui parere neceſſum.

138. QUÆSTIO autem eſt, an ſaltem legislator lege pænali ſic obligare poſſit, ut Reus ante ſententiam declaratoriam teneatur ſubire pænam? ℞. affirmativè. ſive pæna ſit activa, quam reus ſibi infligit, ſive paſſiva, quam patitur ſibi infligi, dummodo ſit moderata. *Ratio:* quia ſententia legis non eſt minoris virtutis, quàm ſit ſententia judicis, ſed ſententia judicis obligare poteſt ad præfatam pænam. ergo. Sic itaque obligari poteſt Reus, ad ſolvendam mulctam pecuniariam, ad privatum ſe flagellandum, jejunandum, orandum, &c.

139. *Dixi: Dummodo ſit moderata.* Nam pænas, quæ in corpore exercentur contra vitam, integritatem membrorum, aut ignominiam inferunt; non tenetur reus exequi, ſed ſatìs eſt, patiatur per juſtitiæ miniſtros ſibi infligi, tum quia intrinſecè malum eſt, ſeipſum occi-

occidere, mutilare, &c. tum quia nimìs violentum eſt, ut idem ſit agens, & patiens in pœna tam acerba. videatur Covarruvias *in 4. p. 2. c. 6. §. 8. n. 13.* & *L. 1. variar. Reſol. c. 2. n. 10.* Zoës. *ad Decretal. tit. De pœnis. n. 23.*

§. XIV.

Utrùm ignorantia excuſet à pœna legis?

140. DICO *1mò.* Agens contrà legem, quam invincibiliter ignotat, non incurrit pœnam ipſi annexam. *Ratio* evidens eſt, quia talis ignorantia tollit voluntarium, & per conſequens culpam, & peccatum, ut pœnæ locus eſſe non poſſit.

141. DICO *2dò.* Si quis vincibiliter legem ignoret, & ratione hujus ignorantiæ non excuſetur à peccato mortali, non excuſabitur etiam à pœna ordinaria, ob tale peccatum impoſita, niſi ad pœnam incurrendam requiratur in lege ſcientia, aut dolus. *Ratio*: quia, cùm talis culpam gravem committat, non eſt, cur à pœna gravi eximatur. *Dixi: peccato mortali*, ſi enim ignorantia faciat peccatum eſſe ſolùm veniale, pœna gravis incurri non poteſt, utpote improportionata, ut judex tali caſu aut nullam, aut longè mitiorem pœnam imponere debeat. *Dixi* etiam: *ob tale peccatum, &c.* quod nempe cognitum fuit, Hinc qui ſcienter aufert rem, quam ignorat eſſe ſacram, incurrit quidem pœnam furti, non ſacrilegij. Sic &, qui injicit manus violentas in Clericum, quem putat eſſe Laicum, etſi aliunde pœna dignus ſit, non tamen excommunicatur. *Dixi* denique: *niſi ad pœnam incurrendam, &c.* nam ſi pœna decreta ſit in eos, qui *conſultò, auſu temerario, doloſè, præſumptuoſè, deliquerint*, illa non incurritur ab ijs, qui per ignorantiam etiam vincibilem, dummodo non ſit affectata, peccaverint, iſta enim ignorantia, ut ut à mortali non excuſet, non continet tamen dolum formalem, aut tantam malitiam, quam lex requirit ad pœnam incurrendam.

142. DICO *3tiò.* Qui in cognitam legem impingit, pœnam incognitam, ipſi legi annexam, incurrit, ſi non ſit cenſura. *Ratio*: quia, cùm talis ignorantia non tollat culpam, quæ pœnæ cauſa eſt, nec tollit effectum ejus, nempe pœnam. Dein: ignorantia pœnæ ad ſummum facit, pœnam non eſſe voluntariam, quod parùm refert, cùm in his, quæ de ſe mala ſunt, non ſit neceſſe, ſciat delinquens, quæ, & qualis

qualis pæna delicto ſit propoſita, quo modo homines puniuntur pænâ æternâ, quamvis ignorent, delictis ſuis talem pænam deberi; & fur non eſt liber à ſuſpendio, quòd ignoret, hanc furti eſſe pænam. Neceſſum tamen eſt (ùt jam inſinuatum) delinquens ſciat circumſtantiam, & qualitatem facti, cauſantem, vel alterantem delictum, cujus ignorantia excuſaret à ſpeciali gravitate, quam lex ſpecialiter vult puniri. Quamobrem vaſallus non poteſt dici comiſiſſe feloniam inſidiando domino, quem talem eſſe ignorat, & cognoſcens conjugatam, quam ſolutam putabat, plecti non poteſt pænâ adulterij.

Dixi: Si non ſit cenſura. Quia ut cenſura incurratur, requiritur contumacia, & contemptus. Nemo autem contumax cenſeri poteſt, ſi cenſuram ignoret. ergo. Confer Zoës. *ad Decret. tit. de ſentent. excom. n. 150.*

143. Sed quid ſi ignorantia fuerit Juris? dicit quidem Regula ignorantiam facti, non Juris excuſare, eò, quòd Jura omnibus promulgentur; equidem, cùm poſſit dari ignorantia invincibilis Juris, non tantùm humani, ſed etiam divini poſitivi (licèt hæc ſit rarior) & ignorantia invincibilis, cùm auferat voluntarium, à culpa excuſat, ergo & pæna: ídque procedit nedum in foro interiori, ſed & exteriori ex rationis identitate. Nec OBEST: quòd in foro fori præſumatur ſcientia legis. *L. penult. C. De Juris, & facti ignor.* hæc enim præſumptio ignorantiâ probatâ, evaneſcit. quòd ſi, etſi revera ſubſit, non probetur, ſicut difficulter probari poteſt, cùm in animo conſiſtat, damnetúrque ideo Reus; tunc quidem externè tenetur parére, & pænam luere, in conſcientia tamen poteſt eam non exequi, citra ſcandalum tamen.

144. ROGABIS: An punitus de Jure Canonico per judicem Eccleſiaſticum, veniat & puniendus per ſæcularem? ℞. Ità dicendum, quando crimen eſt mixti fori v. g. audulterium, hæreſis, &c. ùt patet ex *cap. felicis 5. de pænis in 6.* ídque ne crimina maneant condignè impunita. Peckius *in cap. bona fides n. 4. & 7. De R. I. in 6.* Zoës. *in lib. 48. Digeſt. tit. De pænis n. 21.*

§. XV.

An, & quomodo lex in præſumptione fundata obliget in conſcientia?

145. Lex in præſumptione fundata cenſetur, quæ ex conjectura circumſtantiæ cujuſdam aliquid præcipit, vel prohibet. Et ſicut præſumptio alia eſt *Juris*, alia *facti*, ità lex alia eſt in præſumptione *Juris*, ſeu ùt popularius dicitur; *in præſumptione communis periculi* fundata, quæ videlicet prohibet actum, de ſe periculoſum, damnis, fraudibus, & inconvenientijs communiter obnoxium, ac plerúmque multis incommodis ſubjectum. Alia in præſumptione *facti*, quæ ex conjectura determinatæ, & particularis cujuſdam circumſtantiæ, aut qualitatis pro hoc, vel illo caſu, quidpiam jubet, aut vetat. Pro reſolutione

146. DICO *1mò* Lex in præſumptione *facti* fundata non obligat in conſcientia, quando circumſtantia in cujus præſumptione lex fundata eſt, ceſſat, & à parte rei non ſubſiſtit, ità Suarez *Lib.3. de legib. cap.23. n.9.* Cardinalis Sfondrati *in Diſput. Jurid. De lege in præſumpt. fund.* §. 4. *n.1.* Wolcker *q.29. De leg. poſitiva pag. mihi 212.* citans alios. *Ratio*: Quia deficiente motivo adæquato, & fine legis, deficit quoque legis obligatio. Ceſſante quippe causâ, ceſſat effectus. *cap. 60. de appellat.* atqui, dum lex fundatur in præſumptione *facti*, deficiente circumſtantiâ, cujus præſumptioni lex innititur, deficit adæquatum motivum, & finis legis. ergo. tum quia præſumptionem vincit, & elidit patefacta veritas. & hinc turmatim.

147. DEDUCUNT Doctores, eum, qui ſententiâ judicis notoriè injuſtâ gravatum ſe ſentit, fortè quia ſcit, ſententiam ex falſis inſtrumentis, ſubornatis teſtibus, in favorem adverſurij præpotentis, calumnioſè litigantis, &c. fuiſſe latam, non teneri pro foro interno tali ſententiæ obedire, ptæterquàm, quòd nec tranſeat in rem judicatam, neque appellare neceſſum ſit, ſi contineat expreſſum Juris errorem. Zoës. *ad jus Can. tit. de ſentent. & re judic. n.8.* & ibid. Schambogen. *Ratio*: quia lex de obedientia judici quidpiam decernenti, præſtanda, fundatur in præſumptione hujus determinatæ circumſtantiæ: *ſi ſententia juſta ſit*, adeoque, qui novit ſententiam injuſtè prolatam, non tenetur ſententiæ parere, & infeliciter triumphavit, qui per falſa inſtrumenta, aut mero judicis favore victoriam reportavit,

tavit, non evaſurus diſtrictum omniſcij Judicis tribunal. Dixi : *pro foro interno.* nam quia (præterquam ſi manifeſtum *Juris*, aut ùt ajunt : *Conſtitutionis* errorem contineat) in foro externo ſententia præſumitur juſta, debet condemnatus ad vitandum ſcandalum, ſententiæ ſtare, occultâ compenſatione, aut alio modo ſibi conſulturus.

148. DEDUCUNT *2dò* DD. apud Auguſtinum Barboſam *in colectan. ad Seſſ. 25. cap. 19. Concilij Trident. n. 15.* non obſtante, quòd in dicta *Seſſ. & Cap.* conſtitutum ſit, ut *quicunque Regularis, qui ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicit, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe; aut quid ſimile; non audiatur, niſi intrà quinquennium tantùm à die Profeſſionis*; poſſe nihilominus Religioſum nulliter profeſſum, ſi per viam reſtitutionis in integrum ad quærelam nullitatis non admittatur, ceſſante ſcandalo Religionem deſerere, ex ratione hac : quòd Concilium ſe fundet in præſumptione facti particularis, quod nempe intrà quinquennium Religioſus expreſsè, vel tacitè Profeſſionem ratificaverit, contra quam præſumptionem, licèt forſitan probatio in contrarium directè non concedatur, attamen obligatio manendi in Monaſterio pro foro conſcientiæ nequit imponi. ità etiam tenet Card. Sfondrati *dicta diſp. §. 1. n. 10.* Confer Zoës. *ad tit. de Regular. & tranſeunt. ad Relig. ubi n. 44.* qui probabilius ſuſtinet, poſt lapſum quinquennium competere hujusmodi Religioſo reſtitutionis in integrum petitionem, eámque concedi poſſe, & debere, ſi juſta cauſa allegetur, ex generali Regula, & dicto Prætoris : *Si qua mihi juſta cauſa videbitur &c. ff. ex quib. cauſ. majores, &c.* Nec obeſt : quòd in dicta *Seſſ. cap. 19.* dicatur, non audiendus poſt quinquennium reclamans. Nam per illa verba communis quidem, & ordinaria via excluditur, non etiam extraordinaria. *arg. cap. coram 7. De reſtit. in integrum.* Cæterùm reſtitutio non ab alio petenda, quàm ab eo, qui eſt ſupra Concilium, ſcil: Romano Pontifice, cui per Concilium non poſſe claudi manus, ſana, & orthodoxa tenet ſententia, quid hodiedum contradicant Neoterici quidam, præcipuè Galli, qui jurârunt in verba Magiſtri.

149. DEDUCUNT *3tiò.* Hæredem, qui inventarium conficere neglexit, non teneri in conſcientia creditoribus hæreditarijs, aut legatarijs, ultra vires hæreditatis ſatisfacere, ſi nihil ex hæreditate clam ſurripuit. Lex enim, quæ hæredi in tali caſu imponit obligationem

tionem ſolvendi ex proprijs bonis, fundatur in præſumptione facti particularis, quòd videlicet hæres clam aliqua bona de hæreditate ſubtraxerit, ùt liquet ex *Novel. 1. cap. 2. in princip.* in verb. *quæ fortè ſurripiunt, aut malignantur.* & ità nominatim tenet Gomez *ad l. 3. Tauri. q. 121.* Zoës. *ad Tit. ff. de Jure deliberandi 14.* Engel. *ad tit. de Conſtit. n. 38.* & licèt quidam velint, dictam legem pænalem eſſe, & in conſcientia ſaltèm poſt ſententiam declaratoriam, obligare: equidem, quia ipſiſſima hæc pæna ob præſumptam fraudem inflicta legitur *loc. cit.* non poterit habere locum, ſi præſumptioni non correſpondeat veritas.

150. DICO *2dò.* Lex in præſumptione *Juris*, ſeu *periculi generalis* fundata obligat in conſcientia, licèt in caſu particulari, præſumptio comitem non habeat veritatem. ità DD. communiter. *Ratio:* quia motivum adæquatum hujuſmodi legis eſt non tam præſumptio periculi, aut mali particularis, quàm periculi, & mali generalis, adeoque non ceſſabit, ceſſante quidem periculo in caſu particulari, & perſeverante nihilominus periculo univerſali, & morali, quod lex præcipuè reſpexiſſe cenſetur. Et hinc Matrimonium, clandeſtinè contractum, non valet, licèt in caſu particulari nulla intercedat fallacia, quia Trident. *Seſſ 24. de reformat. matrim. cap. 1.* non irritavit hujuſmodi Matrimonium, ex præſumptione facti particularis, ſed periculi moralis, & univerſalis. Sic pariter nulla eſt profeſſio Religioſa ante annum 16. ætatis emiſſa, licèt maturitate, & ſufficienti diſcretione judicij quis in particulari polleat. Nam profeſſionis ejuſmodi nullitas, non intuitu ſingularum perſonarum, ſed ex prudenti præſumptione communis periculi, ac carentiæ ſufficientis judicij, & experientiæ, quæ ante iſtam ætatem, ùt plurimùm non adeſt, inducta eſt à Concilio *Trident. Seſſ. 25. de Regular. cap. 15.*

§. XVI.

An omnis lex probibens actum, eundem quoque irritet, & è contra?

151. LEx irritans dicitur, quæ actûs valorem impediti quod dupliciter facere poteſt, nempe aut *directè* impediendo actum, ſicut lex Tridentina Matrimonia irritavit clandeſtina; aut *indirectè*, inhabitando videl. ipſas perſonas ad contrahendum, licèt alioquin

ſint

ſint habiles, & ſic mediatè invalidando actum ab ijs geſtum. Quô pactô irritantur Matrimonia inter perſonas affines, & conſanguineas.

152. Cæterùm lex irritans, alia eſt, quæ inducitur propter culpam ſeu delictum, ùt illa, quæ caſſat Matrimonium propter uxoricidium v. g. alia, quæ inducitur propter bonum publicum, cujusmodi eſt illa, quæ evacuat profeſſionem Religioſam ante annum 16. ætatis. alia, quæ propter utrúmque inducitur. Prima dicitur pœnalis, 2da non pœnalis, tertia mixta. Nunc ad rem.

153. Plures contendunt legem prohibentem, eſſe regulariter irritantem: & inter hos ſunt Abbas Panormitanus *ad cap. 16. De Regular. n. 11.* Canis *ad Reg. 64. Juris in 6.* Konig. *ad tit. De conſtit. n. 26.* Engel. *ad eund. tit. n. 5.* quibus ſubſcribit P. Schmier jurisprud. Canonico-Civil. *lib. 1. cap. 1. Sect. 3. §. 4. n. 317. & ſeq.* moventur præcipuè 1mò per *Reg. 64. juris in 6.* quæ ſic habet: quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. 2dò: *per L. non dubium 5. in princ. Cod. de LL.* ubi Imperatores diſſertè jubent; *ut ea, quæ Lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolùm inutilia, ſed pro infectis etiam habeantur, licèt legislator fieri prohibuerit tantùm nec ſpecialiter dixerit, inutile eſſe debere, quod factum eſt.* 3tiò ex ratione: quòd irritari mereatur, quid quid legibus & conſtitutionibus publicis adverſatur. *Can. vides* 10. *Diſt.* 10. Cùm legis contemptor, illius aſſiſtentia & comprobatione haud dignus ſit.

154. Verùm hæc momenta non ità ſtringunt, ut in eam ſententiam indefinitè, & indiſtinctè concedam, nec urget adducta *Regula 64.* ſenſum enim habet, non, quòd, quæ contra juris prohibitionem geſta ſunt, illicò ſint irrita, ſed per judicem ſint irritanda, & retractanda. Zoës. *in lib. 1. ff. tit. De Legib. SCtis, & Long. conſvet. n. 53.* in fine. Ad *legem non dubium cit.* relictis aliorum opinionibus, R. det Zoës. *ibid. n. 51.* rectiùs videri alijs; eam legem accipiendam eſſe; de lege prohibente ſpecialiter actum, quò ad ejus ſubſtantiam, ſivè formam ſubſtantialem, vel quo ad ejus exercitium. Defectus enim formæ, ſubſtantiam rei deſtruit, & ex forma non ſervata reſultat actûs nullitas, abſque alia declaratione, aut ſententia judicis. Quod ſi formam ſubſtantialem prohibitio non concernat, ſed tantùm accidentalem, vel circumſtantiam quandam, circa modum, tempus, aut qualitatem, non redditur actus nullus, niſi lex ipſa expreſsè irritationem inducat. Quin imò, quòd lex illa *non dubium*, ob extraordinarium rigorem contrariâ conſvetudine fuerit abrogata, teſtantur varij Authores

 apud

apud P. Herinx *p. 2. Diſp. 5. de LL. n. 34.* contra Reiffenſtuel *in lib. 1. Decret. tit. 2. pag. mihi 133. n. 248. & ſeqq.* neque putandum eſt, fruſtrà lege quidquam prohiberi, quod contra ejus diſpoſitionem geſtum ſuſtinetur: Lex enim, cùm naturam ſequatur; nihil fruſtrà agit; ſed ad quid proderit legis prohibitio? valebit utique prohibitio in præjudicium judicis, qui adversùs legem judicavit, ut vel litem ſuam faciat, vel ut mulctetur: per ea, quæ in *tit. Cod. de pœna judic. qui malè judic.* reſpectu verò eorum, quibus nihil imputari poteſt, æquum eſt, res non magni momenti confirmari, aut ſuſtineri, ne majore ſumptu revocentur. Valebit etiam ad caſtigandam temeritatem eorum, qui actum, quantumvis validum, lege merè prohibente geſſerunt. vide quæ diximus *ad R. I. Can. 64. n. 5. & 6.* nec ſupra allata movet ratio, aliud quippe eſt, quòd actus contra legem geſtus fortè mereatur irritari, aliud quòd ipsô factô ſit irritus. Quare

155. DICO: Non omnis lex prohibens actum, irritat illum. *Ratio eſt*: quia actum prohibere, & illum irritare diverſa ſunt, & ſeparabilia, ex diverſis autem nulla ſequitur illatio, præſertim in materia odioſa, qualis eſt hæc, adeóque ultra verborum proprietatem non extendenda. Unde Innocentius III. *in cap. ad Apoſtolicam 16. de Regularib.* &c. ait: *multa fieri prohibentur, quæ, ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Cui argumento eſt, quod Matrimonium poſt votum ſimplex continentiæ celebratum, ùt ùt lege naturali prohibitum; itidem lege Eccleſiaſtica vetitum, ſi celebretur ante publicas denuntiationes, aut tempore interdicto, attamen illis in caſibus ſit validum: & nónne diſtingvuntur impedimenta Matrimonij in merè impedientia, & dirimentia? vide ergo, quàm ſit evidens, non omnia fieri prohibita ſaltem Jure Canonico, eſſe irrita! quin & Eccleſia poteſt prohibere Sacerdoti conſecrationem, & Laico prohibet extra caſum neceſſitatis baptizare, quos actus non poteſt invalidare. Juvat, quòd paſſim videamus in Sacris Canonibus (quando actum prohibitum, irritum eſſe volunt) clauſulam irritantem eſſe ſubjectam, ùt *in Cap. ſtatutum. De Reſcriptis in 6.* Sic & Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. Cap. 1. De reform. matr.* prohibens Matrimonia clandeſtina, ſubjecit clauſulam irritantem. Quod & facit *Seſſ. 25. cap. 15. de Regular.* ubi prohibet profeſſionem Religioſam, ante annum prohibitionis completum, quâ declaratione opus non foret, ſi prohibitio ſola ſufficeret.

156. Cæ-

156. Cæterùm, licèt jam demonſtratum, non omnem legem actum perhibentem, eſſe ſimul irritantem; fatendum tamen, non eſſe facilè oſtendere, quandonam lex prohibens actum, illum quoque irritet? ad hoc dignoſcendum, determinata nequit dari cynoſura, ſed conſulenda eſt conſvetudo, & uſus legis; ejuſdem materia, ac verba legislatoris; videndum etiam, an forma, quam lex præſcribit, ſit actui ſubſtantialis, vel accidentalis.

157. Alia præcedendi affinis ſubintrat quæſtio, an ſicut non omnis lex prohibens actum, irritat illum, ità nec omnis lex irritans, prohibeat? ℞. affirmativè, quia ſunt quædam leges, quæ præcisè intendunt actum reddere nullum, caſu quo fiat, ſinè tali, aut tali ſolemnitate, verborum formula, &c. & hoc, ut vitentur lites & jurgia. Sic irrita habetur donatio inter vivos quingentos ſolidos, ſive ducatos excedens facta ſinè inſinuatione, ſic irritum eſt teſtamentum ſeptenariô teſtium numerô deſtitutum. Aſt quid culpæ, quid malitiæ, aut turpitudinis involvit, ulrra 500. ſolidos donare ſinè declaratione apud judicem facta? hæredem inſtituere coram 4. aut quinque teſtibus? ſinè ſcrupuloſa verborum ſolemnitate ſtipulari? imò tales videntur eſſe omnes leges irritantes actus, qui nullam de ſe malitiam, aut turpitudinem involvunt, & ex quibus nullum proximo evenit detrimentum.

158 Porrò quid Juris ſi lex ipſo Jure irritet actum v.g. contractum, electionem, aut alias diſpoſitiones? in ordine ad forum externum non dubium, quin ità civiliter hujusmodi actus annullentur, ut non ſolùm nulla inde actio competat, ſed ità ipsô factô jam ab initio irriti, & invalidi per judicem declarari debeant, adeò quidem, ut omnis eorum effectus, unà cum fructibus interea perceptis penitus reſcindatur, perinde ac ſi nequaquam geſti fuiſſent præfati actus. Et ità habet communis DD. ſententia praxi comprobata. Sed

159. Quæſtio non levis eſt de foro conſcientiæ, utrùm id, quod ex tali actu, de Jure irrito, acquiſitum, poſſit tutâ conſcientiâ retineri ſaltem ante ſententiam judicis? Negat P. Schmier. *L. 1. Tract. 1. c. 1. Sect. 3.* §. *4. n. 329. & ſeqq.* citans pro ſe Suarez, Mezger, Engel, &c. ego cum P. Anacleto Reiffenſtuel *ad tit. de conſtit.* §. *11. num. 253.* Diſtinguendo

160. ℞. *imò.* Si ejusmodi actus, ſive contractus, ipſo Jure naturali ſit irritus, vel ſaltèm per legem poſitivam pleniſſimè infirmatus, tollendo videlicet obligationem ipſius, non ſolùm civilem, ſed etiam

etiam naturalem, tunc ex hujusmodi actu, ſive contractu, nullus effectus nulláque obligatio nequidem pro foro conſcientiæ oritur, adeóque inde acquiſita etiam ante omnem judicis ſententiam reſtitui debent. *Ratio*: quia actus ità pleniſſimè infirmatus, æquiparatur actui, qui de Jure naturali eſt irritus, proinde in nullo foro valorem habere poteſt. Itáque, ſicut contractus ab infante, vel prorſus invito, aut ex errore circa ſubſtantiam commiſſo, celebratus, nullius penitus eſt roboris, ità etiam v. g. Matrimonium cum impedimento dirimente contractum, ùtputa intrà gradus conſangvinitatis, vel affinitatis Jure Eccleſiaſtico prohibitos, aut ſinè præſentia Parochi aut teſtium, in loco recepti Concilij Tridentini, nullius eſt firmitatis, etiam in foro conſcientiæ, & ante omnem judicis ſententiam. Idem accidit in profeſſione Religioſa ante annum 16. ætatis, vel annum probationis emiſsâ, utpote quam idem Tridentinum. *Seſſ. 25. de Regular. cap. 15.* totaliter invalidavit. Idem dicendum de ſimilibus, quando actum pleniſſimè infirmari ex verbis legis, vel Canonis conſtare poteſt.

161. ℞. *2dò*: Quando contractus aliúsve actus ipſo Jure poſitivo humano tantùm irritus eſt, ſed Jure naturali ſubſiſtit, neque per legem Civilem, aut Eccleſiaſticam pleniſſimè infirmatur; tunc ſi nemo ſe ſe opponat, ejúſque reſciſſionem petat, ille in conſcientia tutus eſt, qui virtute ipſius aliquid poſſidet. ità Abbas Panormit. *in cap. 1. n. 19. De in integr. reſtit.* Layman. *in cap: auditis. n. 1. de Elect. & Lib. 1. Theolog. moral. Tract. 4. cap. 16. num. 6. Ratio*: quia principalis effectus obligationis naturalis, & ab hac penitus inſeparabilis eſt, quòd creditori jus tribuat accipiendi, & retinendi illud, quod ipſi ex debito naturali ſolutum: atqui in talibus actibus, qui per legem pleniſſimè non irritantur, remanet adhuc obligatio naturalis, ſaltèm donec hæc per ſententiam judicis in foro externo reſcindatur; id, quod recepta praxis docet; quis enim ea, quæ per ejusmodi contractus acquiſivit, reſtituit, niſi per ſententiam cogatur? durum nimìs ſanè videtur, ut, qui rem habet ex conſenſu ejus, qui poterat ipſam tradere, cogatur ſpontè reddere, ob aliquam Juris ſolemnitatem non obſervatam, altercantibus præcipuè Doctoribus an teneatur? quin &, ſi leges pœnales latæ etiam ſententiæ, requirant externam executionem, nec ante judicis ſententiam declaratoriam conſtringant conſcientiam, quidni idipſum dicamus de legibus irritantibus contractus? eſto etiam ejusmodi leges ex primæva legislatoris inten-

tentione ſic fuiſſent latæ, ut animæ vinculum inducerent, equidem, non niſi cum præfato moderamine fuerunt receptæ.

162. DICES *1.* Si ità res ſe habet, quid igitur diſcriminis inter legem actus ipſo Jure irritantem, & inter legem irritantem actus exſpectatâ, & ſubſecutâ primùm ſententiâ judicis? ℞. diſcrimen eſt: quod lex actum per ſententiam judicis irritans, ſupponat actum ante ſententiam, tam civiliter, quàm naturaliter valuiſſe, ut invaliditas ipſius primùm computanda ſit, à tempore latæ ſententiæ, & fructus antecedenter percepti remaneant illi, qui ex tali actu factus eſt poſſeſſor, illósque jam collegit, quod ſecus eſt in lege irritante actum ipſo Jure. Nam actus contra eam geſtus, licèt naturaliter obligârit ante judicis ſententiam, numquam tamen valuit civiliter, ac proin ſubſecutâ ſententiâ ſuper nullitate ejus, per fictionem Juris retrotrahitur, ità, ut actus ille cenſeatur eſſe ac ſemper fuiſſe invalidus, nec proſit quòad retentionem fructuum jam perceptorum.

163. DICES iterum: Simoniacè electus tenetur in foro conſcientiæ dimittere Prælaturam, vel Beneficium ad quod electus eſt. Ergo electio v. g. non ſervatis ſolemnitatibus Juris celebrata: idem eſto de alijs contractibus ipſo Jure irritis) etiam ante ſententiam judicis, nullum omninò producit effectum, quod ipſum manifeſtè patet *ex cap. Matthæus. de Simonia. junctâ extravag. cum deteſtabile eod. tit.* ℞. Electionem Simoniaci per jus Canon. pleniſſimè infirmari, eò, quòd talis contra jus naturale, & Divinum peccaverit, rem, quæ in Commercio non eſt, pretio temporali conſequendo. Atque inde confirmatur concluſio noſtra. Si

164. INSTES, dicáſque. nec electum in excommunicatione poſſe licitè beneficium retinere. *cap. Paſtoralis de Clerico excom. miniſt.* nec electum ab excommunicatis, aut ſuſpenſis. *cap. cum delectus De conſuet. & cap. cum inter de elect.* ℞. iſthæc Jura procedere poſt ſententiam ſaltem declaratoriam judicis, loquendo de foro conſcientiæ. Confer Zoës. *De ſenten. excom. n. 85.* aliud eſt de fructibus ab excommunicato ſtante majori excom̃unicatione perceptis, quia beneficiũ fructuum datur propter officium, quo ceſſante, & illud ceſſare debet, ſaltem in effectu, ſeu actu. Zoës. *ibid. n. 86.* ex his facili negotio.

165. DEDUCITUR *imò.* Cùm Leſſio *de juſtit. & jure lib. 2. cap. 19. dubit. 3. n. 13.* Fachinæo *lib. 4. Controv. cap. 5.* Zoës. *ad tit. ff. qui Teſt facere poſſ. n. 43.* & recenter eum P. Reiffenſtuel *ad tit. de Teſtam. & ultim. volunt. à n. 91. uſque ad n. 133.* contra Covarruviam *in cap.*

cum eſſes 10. *de Teſtam. n.* 12. Struvium *ad ff. exercit.* 32. *Thes.* 16. Haunold, Engel, Mezger, Schmier, & alios, Teſtamentum ſinè debitis ſolemnitatibus factum ante ſententiam judicis, & quando nemo ſe opponit pro foro interno in tantum valere, ut hæredes, & legatarij in eo inſtituti, tutâ conſcientiâ accipere, & retinere valeant hæreditatem, vel legata ſibi in tali teſtamento relicta, eſto poſt ſententiam, etiam in foro interno ſit nullum, adeò, ut tutâ conſcientiâ accipere nihil poſſint, & acceptum reſtituere teneantur. Verùm ut hæc procedant, requiritur 1mò: ut vel hæredes ab inteſtato ipſimet fateantur defuncti voluntatem; vel 2. ut hæres aut legatarius ipſemet interfuerit, & audiverit defuncti voluntatem. Vel denique 3. defuncti voluntatem à duobus ſaltèm teſtibus perceperint; tunc enim nec tenentur hæredibus ab inteſtato manifeſtare, quòd teſtamentum careat requiſitâ ſolemnitate, etſi hæredes iſti alioquin ab inteſtato venturi, id invincibiliter ignorent, utì cum alijs bene obſervat Menochius *præſumpt.* 80.

166. Dicta non modicè confirmantur *ex L. etſi* 2. *C. de fideicomiſſ.* ubi legislator prohibet repetitionem fideicommiſſi ex minùs ſolemni teſtamento ſoluti, quod non faceret niſi hoc ipſo agnoſceret, obligationem ſaltèm naturalem ex tali teſtamento oriri. Cur enim alias fideicommiſſi, ſinè obligatione aliqua, adeoque indebitè ſoluti, reſtitutionem prohiberet, cùm omne id, quod abſque obligatione aliqua per errorem ſolvitur, repeti poſſit. *L. indebitum* 7. *ff. de condict. indeb.* & ſpeciatim fideicommiſſum vel legatum per errorem ſolutum repeti poſſe, explorati Juris ſit. *per L. fideicommiſſum* 7. *C. eod.*

167. DEDUCITUR *2dò.* Valere in foro animæ electionem, alienationem rerum Eccleſiaſticarum, contractus minorum, &c. ſinè ſolemnitatibus de Jure requiſitis facta, etſi enim hi actus in Jure dicantur irriti, nihilominus obligationem naturalem pariunt in foro animæ, ibíque valent, ut ſinè debita ſolemnitate electus; beneficium, contrahens cum Eccleſiæ rectoribus rem Eccleſiaſticam, juſto pretio, & causâ cæteroquin juſtâ, emptam; contrahens cum minori, rem vigore contractûs ſibi competentem, tutâ conſcientiâ accipere, & etiam retinere valeant, niſi exceptione legis, aut judicis ſententiâ contrarium ſtatuatur, prout habet communiſſima ſententia. Confer Zoës. *ad tit. de reb. Eccleſ. non alien. n.* 17. *& inſtit. de authorit. Tut.* ubi vide Perez, Hopp, Schambog.

168. DICES cum Haunoldo *Tract. 6. cap. 1. controv. 3. n. 30.* Lex juſta in foro externo, eſt etiam juſta, & obligat pro foro interno. ℞. id univerſaliter non eſſe verum, præcipuè in Jure irritante actum Jure naturæ validum, niſi, ùt dictum, pleniſſimè irritet.

169. DICES iterùm: Ad omnem actum requiritur voluntas & potentia, ſed ſinè ſolemnitate nullus poteſt v. g. teſtari. ergo. ℞. non poteſt teſtari pro foro externo C. pro foro interno, Neg. pro foro externo obligare leges civiles, ſolemnia v. g. Teſtamentorum requirentes, nemo facilè dubitabit, quidquid contra contendat Fagnanus *in cap. cum eſſes* 10. *n.* 150. *de Teſtam.* volens: leges hujusmodi, requirentes ſeptenarium teſtium rogatorum, virorum, &c. numerum, eſſe contra jus divinum, quo proditum, in ore duorum vel trium ſtare omne verbum *Joan.* 8. ℣. 17. non enim leges iſtæ ſunt contra, ſed præter jus divinum, nec contra jus præceptivum, ſed permiſſivum; & ſenſus illius textûs eſt: neminem poſſe condemnari ad teſtimonium pauciorum, quàm duorum, vel trium, ùt patet ex *Deuteron. cap.* 17. ℣. 6. Confer latè Reiffenſt. *loc. cit. à n.* 122.

§. XVII.

An, qualiter, & ubi debeat promulgari lex humana, & quando promulgata obliget?

170. DICO 1*mò*: Ut lex obliget in conſcientia, & quò ad culpam, vel quò ad pœnam, omnino requiritur prævia ejus publicatio, ſeu promulgatio, ſive jam hæc fiat per ſcripturam publico loco affixam, ſive voce Præconis. Hac de re eſt pax inter DD. *Ratio:* quia lex eſt commune præceptum; ergo debet neceſſariò publicari, ut innoteſcat communitati, ſicque ab omnibus obſervari, & in contravenientes animadverti poſſit. *Cur enim* (inquit Imperator in Auth. *ut factæ novæ conſtitutiones* §. *ſancimus collat. 5.*) *culpabimus eos, qui poſitas noſtras ignoraverint conſtitutiones.*

171. DICES. Pontifices Regulas Cancellariæ (quas ſinguli à principio ſui Regiminis circa cauſas beneficiales, & judiciales ſtatuere, aut innovare ſolent) obſervari volunt, *etiam ex tunc, licèt nondum publicatas, & ſuo tempore duraturas*, ùt liquet ex Prologo harum Regularum. Similiter declarationes Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, in forma authentica productæ, vim habent legis obli-

obligantis, quamvis non publicentur, ergo, &c. ℞. Regulas Cancellariæ ante promulgationem obligare ſolùm quò ad nullitatem actûs in contrarium geſti, conſtringúntque judicem, ut ſecundùm eas pronuntiet non verò quò ad culpam, & pænam incurrendam. Engel *tit. de præbend. n.* 19. Declarationes verò Cardinalium, ideo non prærequirunt novam promulgationem, quia hæc ſolemnitas ſolùm exigitur in legis editione, non item in legis declaratione, qui enim declarat nîl novi conſtituit.

172. DICO *2dò.* Concordant quoque DD. ad rationem legis requiri talem publicationem, quæ ſufficiat, ut ad notitiam totius communitatis deveniat, non verò requiri, ut ejus notitia ſingulorum auribus ſpecialiter inculcetur, prout in terminis declarat Pontifex *in cap.* 1. *de Poſtulat Prælat.* *Ratio*: tum quia ut legis promulgatio ſingulis ſpeciatim intimetur, regulariter impoſſibile eſt; tum quia lex eſt commune præceptum, proinde ſufficit eam communitati ſolemniter intimari, etenim poſt factam ſemel ſolemnem promulgationem, hæc ipſa ad ſingulorum notiam facilè devenire poteſt, & quòd vel devenerit, vel quò minùs devenerit, per eos ſtetiſſe præſumitur, adeò, ut contrarium aſſerenti fides non adhibeatur. *cap. quosdam 7. & cap. quando 8. de præſumpt.* niſi forſitan probetur ignorantia rationabilis, ſeu invincibilis.

173. DICO *3tiò.* Attento Jure poſitivo, leges imperiales, nempe à ſupremo Imperij Romani Principe latæ pro pluribus Provincijs, non obligant, niſi poſtquam fuerint promulgatæ in cujuslibet Provinciæ Metropoli & inſuper duo menſes à die publicationis ſint elapſi. Lex autem alterius Regis aut Principis immediati, & independentis, ſtatim obligat ſcientes, factâ promulgatione in curia ipſius Regis.

174. I*am partem* cum Navarro *Conſil.* 1. *de conſtit. n.* 17. & 18. tenent DD. penè omnes, & colligitur expreſsè *ex Auth. ut factæ novæ conſtit.* quæ eſt *66.* inter Novellas Juſtiniani; in hac enim diſertis verbis ſtatuitur, ut novæ conſtitutiones non obligent, niſi poſt bimeſtre à promulgatione in ſingulis Imperij Provincijs factâ. Tametſi autem ibi ſolummodò fiat mentio de legibus Teſtamentorum, Gloſſa tamen id ad omnes leges Imperiales extendit, ex rationis identitate ubique militante. Quapropter & Pius IV. in Bulla ſuper declaratione temporis, à quo obſervandum erat Concilium Tridentinum, Authenticam illam citans, generaliter latam eſſe inſinuat.

175. *Ra-*

175. *Ratio 2dæ* partis eſt: quòd nec jus naturæ, nec jus poſitivum, nec conditio legis plus exigat, quàm ut promulgetur in Curia Principis, cùm inde propter frequentes ad Curiam acceſſus, & receſſus, facilè poſſit ad ſubditorum notitiam pervenire. & ideò etiam lex Imperialis, ſic promulgata obligaret, niſi promulgationem in ſingulis Provincijs poſtulaſſet. Hoc equidem intellige ſecluſo Privilegio, & conſuetudine contrariâ, quæ jam varijs in locis invaluit. Unde non obligant leges in Gallia, niſi à Parlamentis receptæ, in ijſdem promulgentur; in Hiſpania verò, leges publicatæ Madriti, non habent vim in alijs Regnis Regi Hiſpaniarum ſubditis, niſi in ſingulorum Metropoli promulgentur. Tum quia plura Regna, etſi eidem Regi ſubdita, non cenſentur eoipſo in unum corpus coaleſcere, ut conſtat de Regnis Hungariæ, Bohemiæ, Siciliæ & Neapolis invictiſſimo Imperatori CAROLO VI. ſubjectis tum quia conſvetudine, optimâ legum interprete, id introductum. Et hinc aliquando oritur, quòd lex in una Provincia obligans, non obliget in altera.

176. *Dixi in Concluſ. ſtatim obligat, &c.* quia etſi factâ ſolemni promulgatione in curia, illicò obliget ſcientes, ignorantes tamen, & abſentes, poſt tempus arbitrarium, quo rationabiliter præſumi poteſt de capta notitia, & quòd poſt tantum tempus non debuiſſent conſtitutionem publicatam ignorare. & ità tenet Abbas Panormit. *in cap. cognoſcentes n. 7. de Conſtitution.* & ibid. Engel. *num. 46.* Navarrus. *loc. cit. n. 16.*

177. Hactenus dicta quoque intelligenda ſunt, niſi aliud tempus in lege exprimatur. Siquidem *in Auth. ut in privatis domibus, &c. §. hoc enim. Collat. 5.* ſtatuitur tempus trium menſium. & *in Authent. ut neque miles, &c. §. ſunt igitur collat. 5.* ponuntur triginta dies computandi ab inſinuatione, ſeu promulgatione dictarum legum. Verùm ea ſunt ſpecialia, illud verò, quod habetur *in Auth. ut factæ novæ Conſtit.* de duobus menſibus, eſt generale in legibus Imperatorijs, Imperatorijs inquam, quia in conſtitutionibus Pontificijs id non obtinet. Navarrus *d. conſil. 1. de Conſtit. n. 18.*

178. Celebris ſupereſt controverſia, unde plurimarum quæſtionum practicarum reſolutio pendet; Utrum lex ſive conſtitutio Pontificia, Romæ promulgata illicò obliget pro toto mundo, vel inſuper ejus promulgatio in ſingulis Provincijs & Diæceſibus fieri debeat? ego amplectendo ſententiam, quæ celebriorem aut ſaltem ſaniorem Doctorum meruit calculum.

179. DICO *4tò.* Probabiliùs eſt leges Pontificias ſtatuentes jus novum debere in ſingulis Provincijs promulgari, ſaltem virtualiter, niſi aliud exprimat Pontifex, declarando v. g. quòd Romæ publicatæ, ubique obligent ſine ulteriori promulgatione, ſuppoſitâ tamen ſufficienti promulgationis devulgatione.

180. Probatur 1. Noluit Chriſtus, ut lex nova obligaret omnes nationes virtute promulgationis factæ Jeroſolymis in die Pentecoſtes, ſed voluit, ut ab Apoſtolis ceu qualificatis DEI Præconibus, ubique terrarum promulgaretur, juxta illud *Matth. 28. Euntes docete omnes gentes - - - ſervare omnia quæcunque dixi vobis.* Sed non eſt credibile, quòd Chriſti Vicarius velit aliter ad leges ſuas obligare, dum contrarium non exprimit: ergo. 2dò. Præſumendum: modernos Pontifices Majorum ſuorũ veſtigijs inhærere, niſi expreſsè recedant; ſed olim curabant Pontifices decreta ſua in ſingulis Provincijs Promulgari; nam Stephanus Papa teſte Cypriano *Epiſt. ad Pompejum.* decretum ſuum de non rebaptizandis ab hæretico baptizatis, ad omnes Orientis & Occidentis provincias direxit, Zephirinus teſte Tertulliano *lib. de pudicitia cap. 1.* Conſtitutionem ſuam, quâ Adulteros peractâ pœnitentiâ divinis officijs adeſſe permittebat, in Provinciarum Eccleſijs affigi & legi voluit; idem fecerunt plures alij, ut videre eſt apud Reiffenſtuel *ad tit. de Conſtit. n.* 127. nec infrequens eſt hiſce temporibus ut patet in Bulla *Unigenitus*, in plurimis ſaltem Provincijs Catholicis publicata. Et ſanè, ſi ſufficiat, ſola promulgatio Romána, cur plurimæ Pontificum conſtitutiones obligant in uno loco & non in alio? Si Dicas: ideo non obligare, quòd non ſint receptæ, non evadis, ſed gravius impingis, quia ut §. *ſeq.* videbimus, non requiritur acceptatio populi ad legis obligationem. *Conf.* Ideo leges Imperiales debent in ſingulis provincijs promulgari, quia propter vaſtum Imperij ambitum, prudenter judicarunt Legislatores, unicam promulgationem non ſufficere; atqui Imperium ſpirituale ſummi Pontificis longè latiùs patet, ergo. Accedit, quod Jus Canonicum non dedignetur leges Civiles imitari. *cap. 1. & 2. de N. O. N.* Atqui circa modum promulgandi leges Eccleſiaſticas in Jure Canonico nihil habetur ſpecialiter conſtitutum: ergo erit recurrendum ad jus Civile, quod requirit promulgationem in Provincijs. Nec

DICAS Inde ſequi, quòd leges Eccleſiaſticæ pariter non obligent, niſi poſt bimeſtre à die promulgationis. Quia quò ad hoc, quod magìs à placito Imperatoris, quàm neceſſitate cauſæ pendet, uſu

uſu ſaltem receſſit Canonicum à Jure Civili, maximè ideo; quia leges Eccleſiaſticæ feruntur potiſſimùm ad corrigendos mores, evitanda peccata & pericula animarum, ùt non ſit ratio, cur confeſtim à momento promulgationis factæ non obligent.

181. Dictum in concluſione: *niſi aliud exprimat Pontifex.* Quia, cùm ex natura rei ſufficiat unica promulgatio, modò ſufficienter divulgetur; poteſt Papa pro libitu unicam requirere, cùm ejus poteſtas ſit ſupra jus humanum poſitivum. Quapropter Bulla Sixti V. Annô 1588 contra malè promoventes & promotos ad Ordines, Clementis V. Annô 1601. Alexandri VII. Annô 1666. 7. Maij, & Innocentij XI. Annò 1680. ex ſpeciali præfatorum Pontificum juſſu ubivis obligant poſt promulgationem Romanam.

182. Dictum etiam. *Statuentes jus novum.* Aliud enim eſt in legibus merè declarativis, & exponentibus jus naturale, Divinum aut Eccleſiaſticum antiquum; Ultrò namque concedimus ad declarationem Juris antiqui non requiri novam publicationem; quocirca, dum Pontifex, tanquam caput & Doctor Eccleſiæ univerſalis exponit aut condemnat praxin aliquam, librum aut propoſitionem continentem errorem Juri Divino aut naturali adverſantem, ſicut & dum quid fide credendum decernit, non eſt opus promulgatione, dummodo conſtet ita ab Eccleſia declaratum.

183. Itáque lex Pontificia ſimul ac Romæ promulgata eſt, quantùm eſt ex parte ſuî, ac in *actu primo* omnem obligandi vim habet pro toto orbe Chriſtiano, quòd verò reapſe & in *actu 2dò* non ſtatim obſtringat omnes, non provenit ex defectu legis, ſed ex defectu alicujus conditionis accidentalis, puta, quia etiamnum ignoratur aut quia alicubi ſucceſſu temporis denuò in deſvetudinem abijt; Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 2. n. 4.* Herinx. *p. 2. ſummæ Theolog. diſp. 3. de legib. n.* 117. nec plus vult Zoës. *ad tit. de Conſtit. n. 40. & ſeqq.* nobis in ſpeciem contrarius.

184. Dictum porrò in concl. *virtualiter, &c.* Nam ſextus Decretalium, Clementinæ, & Extravagantes, jam ubivis obligant, & Juris vigorem habent, licet fortâſſe nonniſi Romæ fuerint formaliter promulgatæ. cùm enim ubique in Academijs, legantur, explicentur, propugnentur, etiam ex authoritate Principum; cenſentur fuiſſe virtualiter, adeóque ſufficienter promulgatæ.

185 DICES. Stylus Curiæ Romanæ jus facit & ſecundùm illum cauſæ controverſæ dijudicantur; atqui ſtylus iſte alibi non eſt promul-

mulgatus: ergo. ℞. jus facit in foro externo Romano C. alibi & in foro conſcientiæ N. plura vide apud Franciſc. Schmier *jurispr. Can-Civ. lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *Sect.* 1. §. 2. qui tamen neutri parti poſitivè adhæret, ſed inter utrámque fluctuat. ex dictis.

186. RESULTAT. 1. Legem Epiſcopalem promulgari debere in Matrice Eccleſia, legem Concilij particularis in loco Concilij; quia nec plus nec minus recta ratio videtur exigere.

187. RESULTAT. 2. Omnem legem ſive Eccleſiaſticam, ſive Civilem, exceptâ Imperiali, ſtatim à promulgatione obligare ſaltem in loco promulgationis; Confer Zoës *loc. cit. n.* 45.

188. RESULTAT. 3. Promulgationem in hoc differre à divulgatione, quòd promulgatio ſit prima legis intimatio ſic facta, ut moraliter loquendo poſſit ſubditis innoteſcere; Divulgatio autem ſit illius primæ intimationis extenſio ad omnes ſubditos, aut majorem illorum partem.

§. XVIII.

An lex pendeat ab acceptatione populi?

189. DICO. Ad naturam & intrinſecam conſtitutionem legis humanæ non requiritur acceptatio populi, ac proinde ante hanc lex cæteroquin juſta jam obligat, quamvis per acceptationem & uſum accidentaliter perficiatur, ſeu confirmetur. ita Proſper Fagnanus *in cap. Treugas. n.* 48. *De Treug. & pac.* Zoës. *ad tit. jur. Can. de Conſtit. n.* 46. *& ad ff. tit. de legib. SCtis, & long. conſv. n.* 13. Pirhing *de Conſtit. n.* 45. Caſtropalao *p.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 13. & DD. communiter contra Navarrum *cap.* 23. *Manualis n.* 41. *& conſil.* 1. *n.* 23. *de conſtit.* *Ratio*: quia ad hoc, ut lex intrinſecè cenſeatur conſtituta, & vim habeat obligandi ſubditos, duo ex parte Legislatoris requiruntur & ſufficiunt, videl. poteſtas & voluntas ſtringendi ſubditos ad præcepti communis obſervantiam: atqui Pontifex poteſtatem à DEO, Imperator, aut ſupremus Princeps à populo, lege aurea habet; nec voluntas deeſt, cùm utantur verbis præceptivis, & in contravenientes animadvertant.

190. Quòd verò Gratianus *Can.* 8. *diſt.* 4, ait, leges inſtitui, cùm promulgantur, firmari, cùm moribus utentium comprobantur, nihil contra nos urget. Tum quia Gratianus privatus Monachus, doctrina-

trinaliter, non authoritativè id aſſerit. Tum quia per promulgationem, quaſi ſecundò inſtituitur lex, quæ jam ante præconcepta erat. Tum denique leges extrinſecè & accidentaliter firmantur, quatenus leges moribus utentium comprobatæ, non facilè amplius per contrariam legem aut conſvetudinem abrogantur, ſive ut loquitur Fagnanus *loc. cit. n. 43. & 57.* leges ex moribus utentium accipiunt firmitatem ſtabilitatis, non autem firmitatem authoritatis, vel ut vult Zoës. *ad ff. loc. cit.* leges firmantur moribus *de facto* & non *de Jure*; nam de Jure ſatis firmæ ſunt ab incunabulis ſuæ inſtitutionis.

191. OPPONES 1. In *L. de quibus ff. de LL.* expreſsè dicitur: *Ipſæ leges nulla aliâ ex cauſa nos tenent, quàm quòd judició populi receptæ ſunt.* ℞. cum Zoës *loc. cit.* hoc verificari de populo Romano, pro tempore antiquo, quo utebatur regimine Democratico, & poteſtas ferendi leges penes populum exiſtebat; ſecus dicendum pro illo tempore, quo populus Rom. per legem Regiam (de qua fit mentio in *L. 1. ff. de conſt. Prin.*) omnem à ſe poteſtatem abdicaverat, atque in Imperatorem tranſtulerat. Quòd ſi textum intelligi velis de hoc Reipublicæ aut Imperij Romani ſtatu; intellige, ùt oportet, *de firmitate ſtabilitatis*, ut ſenſus ſit, nullâ aliâ ex causâ leges nos tenere, quàm quòd conſvetudine contrariâ non ſint abrogatæ, tametſi à principio populum obligârint.

192. OPPONES 2. Non eſt juſtum, ut Legislator ſaltèm civilis obliget populum ad legis obſervantiam, antequam illam acceptet; cùm ipſemet ab ipſo populo poteſtatem legislativam acceperit; ℞. *Diſt. Aſſumpt.* non eſt juſtum, &c. quando populus ſub illa conditione poteſtatem ſuam tranſtulit, ſicut aliquando etiam fecerunt Romani ante legem Regiam, ùt notat Hoppius *in præcognitis Juris* C. poſtquàm tranſtulit abſolutè & ſimpliciter, N.

193. INST. Poteſt lex obligans, deſinere obligare per contrariam conſvetudinem; ergo à fortiori incipere non obligare per non acceptationem. ℞. *Diſt. Ant.* interveniente conſenſu ſuperioris tacito vel in Jure declarato C. illo non interveniente N. ordinariè autem Legislator non conſentit, ſed punit refractarios, leges non acceptantes.

194. REPL. Lex non acceptata à majori parte populi, repugnat bono communi, quatenus eſt cauſa tumultûs, & ſeditionum. ℞. *N. Aſſumpt.* Non enim lex juſta, non acceptata, tam bono communi, quàm malitiæ & pervicatiæ populi adverſatur, quod aliquando non

curandum, ne facilè poteſtas legislativa vilipendatur; Equidem ſi prævideret Princeps, ex malitia populi majora incommoda, quàm commoda indè eventura, ſatius legem relaxaret; ex his

195. Deduces ab Alexandro V. inter alias propoſitiones meritò & hanc ordine 28. damnatam eſſe: *Populus non peccat, etiamſi abſque juſta cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Sed

196. Quid Juris & Conſilij, ſi populus juſtam habeat cauſam non acceptandi legem, vel eandem cæteroquin legitimè latam & promulgatam non acceptet? ℞. ſubſiſtente rationabili causâ non acceptandi legem, populus debet ad Principem recurrere per remedium ſupplicationis, pro ſublatione legis, quâ ſtante ſupplicatione licitum eſt populo ſuſpendere obligationem, aut potius executionem legis. Quinimò ſi legislator ille non fuerit Princeps ſupremus, ſed inferior, nedum per viam ſupplicationis, ſed etiam (ſi legem ſubditis præjudicialem aut nimis oneroſam tollere renuat) ab ipſo ad ſuperiorem appellari poteſt.

197. Quòd pendente ſupplicatione (aut appellatione) licitè populus ad interim non obſervet legem, docet cum Roderiquez, Salas, Bonacina: Guilielmus Herinx *p. 2. ſummæ Theol. Diſp. 3. de legib. n. 316. Ratio* eſt, tum quia illud eſt conveniens ſvavi Reipublicæ gubernationi, ne ſubditi illicò premantur legis onere, donec legislator penitus mentem ſuam explicaverit. Nam quandoque ſubeſſe poteſt rationabilis cauſa à Principe ignorata, quâ cognitâ legem haud tuliſſet. Tum quia hoc ipſum etiam de Jure Canonico, & lege Eccleſiaſtica procedit per *cap. ſi quando 5. de Reſcript.* à fortiori in lege civili; quod & praxi receptâ confirmatur, ídque ad evitanda incommoda, perturbationes Reipublicæ inde orituras, ſi hodie lex obſervaretur, cras iterùm tolleretur.

198. Quid ſi Princeps auditâ populi ſupplicatione taceat, neque ulteriùs ejus obſervantiam urgeat? Tunc cenſetur ſupplicationi tacitè annuere, legémque revocare. Nam ſi animum habeat ulteriùs obligandi, debet hunc ipſum declarare, inſiſtendo legi aut animadvertendo in contravenientes, alioquin qui tacet, conſentire videtur. *R. I. 43. in 6.* Confer Bonacinam *Diſp 2. de legib. q. 1. punct. 4. n. 43. Ratio* ulterior; quia Princeps ferendo legem duram, gravem, & obſervatu valde difficilem, non videtur ab initio velle abſolutè obligare, ſed ſolùm tentare inclinationem & ſenſum Populi, ut exploratô ſubditorum geniô poſtmodùm valeat, legem vel plenè confirmare,

mare, vel relaxare, aut moderari; Pirhing *ad tit. de Conſtit. n. 47.* Herinx *loc. cit. n.* 116. Reiffenſtuel *ad tit. cit. n.* 148.

§. XIX.

Quid & quotuplex ſit legis interpretatio, & à quo fieri poſſit?

199. LEgis interpretatio eſt verbi aut ſententiæ obſcuræ expoſitio, retento ſenſu à legislatore intento; quod potiſſimùm fit per modum ſuppletionis, declarando, quòd lex ad hunc vel illum caſum ſit extenſa vel non, ita, ut addatur, quod verbis non menti legislatoris deeſt; ſic in *L. Juſta ff. de V. S.* habetur; quod Juſta interpretatione, appellatione filij, nepos comprehendatur, & Patris nomine, Avus intelligatur.

200. Interpretatio ex parte cauſæ efficientis, alia eſt, quæ fit à Principe, alia per conſvetudinem, alia à Judice, alia à Magiſtris ſeu Doctoribus, ita Fagnanus *in cap. cum veniſſent. n. 1. de Judiciis.* Unde ſequitur, quòd alia ſit interpretatio neceſſaria ſeu Authentica, alia non neceſſaria ſeu merè probabilis aut doctrinalis. Interpretatio authentica & neceſſaria rurſus alia eſt generalis, aut ſcripta, aut non ſcripta; alia particularis. Authentica generatim eſt illa, cui neceſſariò eſt aquieſcendum, & quæ vim legis habet; & hæc ſi eſt generalis per Principem *ſcripta*, vim legis in omnes ſubditos habet. Nam quòd Principi placuit, legis habet vigorem. *L. 1. ff. de Conſtit. Princip.* Aut per conſvetudinem legitimè introducta abſque ſcriptura, & tunc quoque omnes ligat, apud quos conſvetudo viget, ùt per ſe patet. Interpretatio neceſſaria particularis eſt, quæ fit per judicem. Siquidem Judex imprimìs poteſt declarare ſententiam ſuam; *arg. l. in ambiguis. ff. de Prætorijs ſtipulat.* poteſt quoque Judex interpretari leges quò ad cauſas à ſe decidendas *L. nam ut ait, &c. L. non poſſunt ff. de LL.* juncta *Authent. ut Judices collat. 9.* Romanus *conſil. 30.* Judex etenim eſt Juris interpres in cauſa dubia, ejúsque ſententiæ tanquam habenti vim particularis authenticæ interpretationis, tenentur partes litigantes obſequi, niſi ad Judicem ſuperiorem appellaverint, transítque ſententia, à qua non appellatum, in rem judicatam; Equidem hujusmodi interpretatio eſt neceſſaria particularis, non generalis; quia licet partes litigantes illi obſecundare, aut ab illa provocare

re neceſsè habeant, alia tamen Tribunalia nulla ſtringunt neceſſitate ad ſequendum tale exemplum; quia non exemplis ſed legibus judicandum. *L. nemo C. de ſentent. & interloc. omn. judi.* & res inter alios acta, regulariter alijs non nocet. *c. quamvis 25. de ſent. & re Jud.* Porrò interpretatio non neceſſaria, ſeu merè probabilis ac doctrinalis, ſeu (ut alij ajunt) Magiſtralis eſt illa, quæ à Magiſtris & Doctoribus dari poteſt & ſolet. Hæc licet ſuum pondus habeat; hodie tamen, propter defectum poteſtatis: neceſſitatem non inducit; Hodie inquam; nam fuit olim Juriſconſultorum à Senatu lectorum & approbatorum reſponſis, ea authoritas, ut judici ab ijs recedere non licuerit. *§. reſponſa. 8. Inſtit. De Jure* Nat. Verùm poſt Gordiani tempora non inveniuntur tantâ polluiſſe authoritate, quâ nec hac tempeſtate pollent, cùm non, quis dicat, ſed quid & quâ ratione dicat, ponderetur, nec tam Authorum farrago, quàm ratio vincat. Confer Zoës *ad ff. lib. 1. tit. 1. n. 62.* ut meritò dixerit Imperator in *L. 1. §. ſed neque C. de vet. Jur. enucleando. Sed neque ex multitudine Authorum, quod melius & æquius eſt, judicatote, cùm poſſit unius forſan & deterioris ſententia & multos & majores in aliqua parte ſuperare.*

201. Ex parte cauſæ formalis dividitur interpretatio in Translatativam, declarativam, correctivam, reſtrictivam, & extenſivam. ita *Gloſſa 2. in L. 1. ff. de orig. Juris* Fagnan. *loc. cit. n. 6. & ſeqq.* Interpretatio *translativa* eſt quando unum idioma transfertur in aliud; quo ſenſu ſacra Scriptura habet ſeptuaginta Interpretes, qui populariter citantur. Declarativa ſeu *expoſitiva* eſt, congrua verbi vel orationis dubiæ explicatio. *Correctiva* eſt; quâ legum obſcuritas & duritia humanæ conditioni incongrua, per benignam interpretationem modificatur, & mitigatur. *Reſtrictiva* eſt, quâ verba legis aut ſtatuti, ſvadente ſic æquitate, in ſua generali ſignificatione coarctantur & reſtringuntur; quâ ratione interdictô populô non cenſetur interdictus Clerus. *cap. ſi ſententia 15. de ſent. excom. in 6.* haud obſtante, quòd in materia favorabili nomine populi veniat & Clerus. *Odia* quippe *reſtringi, & favores convenit ampliari R. I. 15. in 6. Extenſiva* eſt, per quam fit ampliatio legis ad non expreſſa. quô pactô *favores convanit ampliari. Reg. cit.* & *beneficia Principum largiſſimè interpretenda. cap. olim de V. S.* Ac in *contractibus* plena, in *teſtamentis plenior, in beneficijs pleniſſima eſt interpretatio facienda.* Ubi adverte extenſionem legis interdum fieri *propriè*, quando videlicèt legis cujuspiam deciſio transfertur ad alium caſum, vel perſonas, tam ultra ver-

ba

ba legis, quàm ultra, non tamen *contra* mentem legislatoris. Aliquando *impropriè* ùt, quando fit ampliatio ultra verba expreſſa legis, ſed non ultra mentem legislatoris, ſicut contingit, quando deciſio legis transfertur ad alium caſum ſeu perſonam non comprehenſam ſub verbis legis, comprehenſam tamen ſub mente legislatoris. Verùm, ùt dixi, hæc non eſt extenſio *propriè* dicta, ſed *compreſiva*. Confer Pirhing *ad tit. de conſtit. n.* 111.

202. Sed quis legem interpretari poteſt? ex dictis habetur nedum per legislatorem aut ſucceſſorem ejus, verùm etiam per conſvetudinem, legis fieri poſſe *neceſſariam* & *authenticam* interpretationem. Nunc inſuper.

203. ℟. Legem doctrinaliter interpretari poſſunt non tantùm illi, qui ſunt ex profeſſo judices, doctores, aut animarum Paſtores, ſed omnes, qui ſufficienti prudentiâ & ſcientiâ pollent, quin & in neceſſitate illam ex æquo & bono interpretari poteſt Plebejus & ruſticus. *Ratio 1mæ partis* eſt, quia ùt ùt Magiſtris & legum Doctoribus promotis competat publicè in Academia & Cathedra leges interpretari, privatim tamen interpretandi facultas non uni potiùs legitur conceſſa quàm alteri; proinde cuivis viro docto & prudenti non abneganda, quando non eſt facilis aditus ad Principem & tollenda eſt ſubditorum perplexitas & dubietas. *Ratio 2dæ partis* eſt, quòd lex naturæ dictet, ut quilibet in perplexitate, dum hìc & nunc agendum eſt, nec patet recurſus ad doctiores, lumen rationis conſulat, illiúsque ductum ſequatur. P. Henno *tract. de legib. diſp. 3. q. 13. conclus. 5.*

204. Hic quæri poſſet, utrùm interpretatio authentica legis per Principem legislatorem, aut ejus ſucceſſorem facta, debeat ſolemniter perinde ac lex promulgari, ut obliget? ℟. Interpretatio extenſiva & propriè dicta, quæ videlicet legi intrinſecè non ineſt; ut ſit *authentica* & *neceſſariò* ſequenda debet promulgari ad inſtar legis. Suarez, Caſtropalao, Bonacina, Salas apud Reiffenſtuel. *loc. cit. n. 374.* *Ratio*: quia publicatio vel eſt de eſſentia legis, ut Thomiſtæ arbitrantur, aut ſaltem conditio neceſſaria ad inducendam actualem obligationem ùt Scotiſtis placet: proinde ſicut promulgatione opus, ut lex obliget, ita & ut obliget ejus interpretatio. Nec obſtant *dicta n. 182.* hæc enim intelligenda de mera legis declaratione, quam Fagnanus *loc. cit. n. 5.* & DD. communiter appellant intrinſecam, ſubſtantialem, & inſeparabilem à lege, utpote cui ineſt atque ex ejus viſceribus trahitur, quæ meritò, præſertim ſi ſit

clara & manifeſta, ulteriori promulgatione, non indiget. Secus dicendum de interpretatione *propriè* dicta, extrinſeca & accidentali legis, qualis eſt correctiva, reſtrictiva, aut merè extenſiva, hæc enim non ita ineſt, ùt patet.

205. ROGABIS. Quæ ſint Regulæ generales circa legum interpretationem obſervandæ? Quando interpretatio fit ab ipſo legislatore aut ſucceſſore, mens & voluntas interpretantis potiſſimùm conſideranda venit, nec opus eſt, ut reſpiciat ad primævum ſenſum & mentem legis, quia ſicut legem prædeceſſoris aut ſuam abrogare poteſt, ita novum ſenſum dare legi præexiſtenti. Regulæ igitur, quas hic adducimus, ſubſerviunt interpretationi doctrinali ac Magiſtrali, aut etiam particulari neceſſariæ per judicem inferiorem faciendæ.

206. REGULA *1*. Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam, quia in verbis perſpicuis deſiderare interpretationem eſt nodum in Scirpo quærere. Confer Barbos *Axiom. 222. n. 32.* Card. Tuſch. *L. V. concl. 108.* & hæc Regula etiam obtinet in Privilegijs *per cap. ad audientiam 12. de Decimis* & *cap. porrò 7. de Privileg.*

207. REGULA *2*. Interpretans magìs curare debet, ut aſſequatur mentem legislatoris, quàm verba legis, ùt probatur *ex Can. humanæ aures. 22. q. 5.* & *L. ſcire. 16. ff. de LL.* & *Reg. jur. can 88. in 6.* poteſt autem mens legislatoris cognoſci partim ex materia, partim ex motivo legis conditæ, partim ex verbis præcedentibus, aut ſequentibus, tum etiam ex alijs legibus ijſdem verbis conceptis, aut porrò ex inconvenientibus aut abſurdis alioquin ſecuturis.

208. REGULA *3*. Verba ſunt intelligenda ſecundùm propriam & vulgarem ſignificationem, niſi aliud ſvadeat ſubjecta materia vel natura actûs, aut contractûs; Barbos. *axiom. 222. n. 4.* quod Decius *conſ. 113. n. 6.* & Surdus *conſil. 140. n. 63. & ſeqq.* procedere ajunt etiam in materia odioſa, quando non præjudicatur tertio, nec jurisdictioni ordinariæ. *Ratio*: quia præſumendum, legislatorem propriè & ad captum populi locutum fuiſſe, niſi ex lege ſic intellecta ſequeretur abſurditas, v. g. quòd eſſet injuſta, moraliter impoſſibilis, nugatoria, inutilis, &c. Quòd ſi verba ultra naturalem ſignificandi proprietatem, quæ ex communi hominum acceptione hauritur, habeant & civilem, quæ oritur ex fictione Juris. Sicut *tò mors* mortem naturalem & v. g. Profeſſionem religioſam, exilium, &c. ut-

pote

pote mortem civilem denotat; Tunc regulariter & per ſe loquendo, ſenſus verborum naturalis eſt ſervandus, niſi, ùt dictum materia & circumſtantiæ aliud ſvadant *arg. L. ult. C. de his, qui veniam ætat, &c.* ubi legitima & perfecta ætas, de naturali intelligitur, non de illa, quæ beneficio Principis obtinetur. vide latè Reiffenſt. *ad tit de Conſtit. à n. 892.*

209 REGULA 4. Lex favorabilis, nulli præjudicium adferens, eſt amplianda, odioſa verò reſtringenda, modò propia verborum ſignificatio retineatnr, & mens legislatoris obſcura ſit, & ignoretur. Quamobrèm lex favorabilis conſtituens aliquid circa filios, comprehendit etiam adoptivos, ſecus ſi ſit odioſa; quare lex circa Clericos non comprehendit Religioſos in odioſis. Zoës *ad tit. de ſent. excom. n. 131.*

210. REGULA 5. Lex generaliter & indiſtinctè loquens generaliter & indiſtinctè capienda, niſi per aliam legem explicetur & reſtringatur. Seu ùt vulgo dicitur: ubi lex non diſtingvit, nec nos diſtingvere debemus.

211. REGULA 6. Indefinita locutio æquipollet univerſali, ſed ùt Diacletici ſubaudiunt *in materia neceſſaria.* Et ùt Juriſtæ notant - quando eadem omnium ſub indefinita comprehenſorum eſt ratio & natura Dynus in *Proëm ad R. I. in 6. n. 5.* Card. Tuſch. *lit. I. concl. 86.* Secus, quando non ſubeſt, eadem ratio & conditio omnium particularium ſub univerſo comprehenſorum. Sic in *L. Hæres meus* & *L. quæſitum §. illud ff. de legat. 3.* ſub indefinito legato marmoris comprehenditur rudis ſolùm materia & in *l. ſi cui lana §. 1. ff de legat. 3.* ſub lana indefinitè legata, non comprehenditur lana tincta, ídque ob variatum ſolùm accidens. Aliud ergo eſt, ſi lana indefinitè, aliud, ſi omnis lana legata ſit, quia cauſula univerſalis eſt majoris efficaciæ, & ex propria ac naturali ſignificatione comprehendit omnia ſingularia, locutio autem indefinita, duntaxat ex benigna interpretatione atque conjectura veroſimili, quæ ſtunc ſolùm facienda, quando omnium particularium eſt eadem ratio & conditio, non item quando ſubeſt diverſa ratio; quocirca ſculptura marmori, tinctura lanæ ſupperaddita, facilè poteſt eſſe majoris æſtimationis, quàm ipſum principale. Dyn. *loc. cit. n. 7.* Barbos. *Axiom. 123. n. 4. & ſeqq.*

212. DICES. Appellatione argenti, etiam fabricatum argentum comprehènditur. *text.* in *L. quæſitum cit.* ℞. id ideò eſſe, quòd argentum fabrefactum ſeu effigiatum, ad ſuî materiam reverti poſſit, dum liquefit, quod ſecus accidit in marmore effigiato ſeu efformato, in

lana tincta, & ſimilibus, & ipſamet hæc diſparitatis ratio alliguatur in *cit.* §. *illud.*

213. REGULA *7ma.* Lex limitatoria, dum certum caſum à lege excipit, cenſetur hanc declarare, atque in reliquis confirmare. Exceptio enim firmat regulam in contrarium, in caſibus non exceptis. Confer Fagnan *in cap. illa n. 31. Ne ſede vacante.* Barbos. *Axiomat. 85. n. 4.* Profecta eſt hæc regula *ex L. Quaſitum* §. *denique ff. de fundo inſtructo.* & *Can. Dominus 32. q. 7.* quod enim lege nova non mutatur cur ſtare prohibeatur?

214. RECULA *8va.* Argumentum à ſenſu contrario eſt validum. quin & (ùt loquitur *Gloſſa* in *cap. cum Apoſtolicæ V. datur intelligi. De his quæ fiunt à Prælat.*) à contrario ſenſu datur fortiſſimum argumentum. Conſonat *L. 1. ff. de officio ejus cui mandata eſt jurisdictio.* Verùm, ùt hæc regula procedat, præprimis requiritur, ut ex tali argumento à ſenſu contrario nullum ſequatur inconveniens, vel abſurdum. Card: Tuſchus *Lit. A. concl. 498. n.* 119. Barbos. *loc. 27. à contrario ſenſu n. 34. & ſeq,* Dein requiritur; ut ex inde non reſultet Jurium correctio, quando enim alia Jura contradicunt, argumentum à contrario non habet locum. Quia Jurium correctio veluti odioſa, pro poſſibili eſt evitanda. Confer. Fagnan. *in cap. nullus n. 8. De foro compet.* Card. Tuſch. *loc. cit. n. 103.* Barbos. *n. 30. & ſeqq.* Qui Regulam procedere volunt, etiam, dum ex tali argumento induceretur correctio alterius ſtatuti, vel partis inſtrumenti v. g. Teſtamenti. Deníque, ut argumentum à contrario ſit firmum, oportet, deducatur ex aliquo eorum, quæ in diſpoſitione ponuntur *cauſativè,* ſeu ùt principaliter moventia ad ſic ſtatuendum; ſecus ſi eruatur ex eo, quod *narrativè, exemplificativè,* ſeu modaliter poſitum fuit. Everhardus *in loco à contrario* 4. Decius. *Conſil. 32. n. 12. vol. 11.*

215. REGULA *9na.* Ubi eſt eadem ratio, eadem quoque eſt Juris diſpoſitio. Barbos. *Axiom. 197. n. 3.* intellige, quando eſt eadem ratio, ſeu cauſa *finalis adæquata,* ſinè apparente diſparitate. Itáque caſus, quos nectit paritas æquitatis, & identitas rationis, non ſunt quò ad Juris diſpoſitionem ſeparandi, quin & (ùt Barboſa *Axiomate 197. n. 8.* inquit) ubi eſt eadem ratio, eadem eſt lex, non *extenſivè,* ſed *comprehenſivè.*

216. REGULA *10ma.* De ſimilibus idem eſt judicium. ùt traditur *in cap. inter corporalia. De Translat. Epiſcop.* Et colligitur *ex L. non poſſunt. ff. de LL.* Oportet tamen, ſimilitudo adæquata & omnimo-

da ſit in illo puncto, de quo quæritur, licèt in cæteris ſit diſſimilitudo. Non eſt tamen argumentum à ſimili deductum, per magni ponderis, præcipuè in ijs, quæ magìs ab arbitrio conſtituentis, quàm ex igentia, aut neceſſitate cauſæ, dependent. Conſule Barboſ. *in loco* 101. *n.* 7. & 8. Menochium. *Conſil.* 75. *n.* 82. Everhardum *in Cent. Legal. loc. à ſimili.*

217. REGULA *11ma.* In omnibus cauſis potior debet eſſe ratio æquitatis. quàm ſtricti Juris, prout inſinuat *l. placuit C. de judicijs* & *L. in omnibus ff. de Reg. J. Et cap. ex parte* 13. *de Officio delegat.* Maximè procedit hæc Regula in pœnalibus, & odioſis, in quibus ſemper benignior eſt interpretatio facienda. per *Reg.* 49 *Juris in* 6. Verùm ùt rectè notat Abbas *in d. c. ex parte n.* 1. non capienda eſt Regula de æquitate cerebrina, quam Judex ex proprio hauſit cerebro. Hæc enim iniquitatis Mater, & judiciorum corruptela eſt; ſed de æquitate Jure informata, ſeu ſcripta, nam judex non debet eſſe clementior lege. Sed quid, ſi deficiat æquitas ſcripta, nihilque in Jure expreſſum habeatur circa id, quod in diſceptationem venit? ℞. tunc demum locus erit æquitati non ſcriptæ, & rationabili judicis arbitrio per *text. in cap. fin. de Transact.* Hìc obiter Nota, quòd æquitas ſit juſtitia, dulcore miſericordiæ temperata, ſeu quædam factorum convenientia & rectitudo judicij, naturalem ſequens rationem.

218. Regulæ hactenus traditæ generaliores ſunt, cuivis materiæ ſubſervientes. Pro interpretatione legum correctoriarum, exorbitantium, & pœnalium habeſis ſequentes.

219. REGULA 12*ma.* Non cenſetur plus de priori lege mutatum, quàm eſt expreſſum in poſteriori. Quò facit Textus. *in l. ſi verò § De viro ff. ſolut. Matrim.* ubi ſummarium ex Bartolo ſic habet: *proviſio legis contra jus commun, non extenditur ultra illud, quod lex exprimit, licet eadem ſit ratio.* & meritò, nè alioquin Jura tot vigilijs, & lucubrationibus conſtituta, facili negotio, non ſinè populi conturbatione tollantur. Confer Card. Tuſch. *L. I. Concl.* 333. *n.* 34. Barbos. *Axiom.* 60. *n.* 2.

220. REGULA 13*tia.* Leges exorbitantes à Jure communi, ſunt ſtrictæ interpretationis, neque producendæ ad conſequentiam. Repete quæ diximus ad *Reg.* 28. & 74. *Juris in* 6.

221. REGULA 14*ta.* Lex pœnalis & omnis alia odioſa in dubio ſtrictè interpretanda eſt, nec regulariter extenda ultra caſum, & perſonas expreſſas. vide omninò dicta ad *Reg.* 49. *Juris in* 6. & inſu-

per Nota, quòd hæc Regula fallat, quando in alio caſu lege non expreſſo, occurrit unicæ rationis in lege expreſſæ, adæquata identitas; extenſio quippe legis non tantùm favorabilis, ſed etiam odioſæ & pœnalis, ob adæquatæ rationis identitatem, tam intrà, quàm extra judicium rectè fieri poteſt, ac debet. Abbas Panormit *lib. 1. Conſil. 75. n. 6.* Dynus *ad Reg. certum eſt. n. 12. De Reg. Juris in 6.* Card. Tuſch. *L. E. concl. 665. n. 4.* Hócque ipſum patet ex *cap. per noſtras 26. De Jure Patronat.* ubi Patronus clericus non poteſt ſeipſum præſentare ad perſonatum alicujus Eccleſiæ, eò quòd *nullus ſe ſe ingerere debeat Eccleſiaſticæ Prælationis officio.* Quæ ratio, cùm æquè militet in alijs beneficijs, hinc diſpoſitio iſthæc protenditur ad omnia beneficia Eccleſiaſtica. Barbos. *Lib. 3. jur. Eccleſ. univ. cap. 12. n. 194.*

222. ROGABIS fortè, quænam materia cenſeatur favorabilis, & quænam odioſa? Non immeritò quis dubitaverit, cùm plerumque, quod uni gratiosè conceſſum, alteri ſit oneroſum, aut ademptum. ℞. aut favor & odium ab invicem ſecerni & ſeparari poſſunt, & tunc materia, lex, aut quævis alia diſpoſitio, partim eſt favorabilis, partim odioſa, & proinde, quâ parte eſt favorabilis, amplè erit capienda, quatenus verò odioſa; cenſeri debet ſtrictæ interpretationis, adeóque reſtringenda; ita Gloſſa *in l. venia* ℣. *liberis C. De in jus vocand.* inquiens: *ex parte Patroni eſt favor, & ideò prorogandus; ex parte liberti eſt odium, & ideò reſtringendum.* aut in conſtitutione partim favorabili, partim odioſa, pars favorabilis avelli nequit; & tunc principalis intentio concedentis, aut legislatoris ponderanda eſt, quæ quidem, ſi præcipuè favorem beneficiati reſpiciat, ùt ùt in aliquod odium ſeu damnum tertij redundet; equidem lex, ſive conſtitutio omninò cenſebitur favorabilis, proin laxè interpretanda; ſi verò principale intentum conſtitutionis tendat in alicujus odium, ſeu pœnam, conſtitutio cenſebitur ſimpliciter odioſa, erítque ſtrictè interpretanda, tametſi ſimul cedat in quendam favorem tertij, Primarius ſiquidem finis, & intentio conſtituentis, norma eſt menſurandi diſpoſitiones. Planè ſicut in ſimili, an obligatio nata ex contractu ſit perſonalis, an realis? attendendum non ad id, quod acceſſoriè, ſed quod principaliter actum. Quod ſi demum ex verbis, ac materia ſubſtrata non appareat, an conſtitutio principaliter facta ſit in favorem, aut odium; tunc iterum odio præponderat favor, ex ratione, quòd ſemper in dubijs benigniora præferenda ſint. *L. ſemper 57. ff. De R. I.* Proindéque in caſu, ubi odium à favore ſeparari nequit, haud immeritò largiùs interpretandum.

§. XX.

§. XX.

Qualiter lex humana mutari poſſit?

223. LEx (ùt ſæpe dictum) mutari poteſt vel ab intrinſeco deſinente duntaxat cauſa totali, ob quam lata fuit; vel ab extrinſeco, videl. per abrogationem, diſpenſationem, conſvetudinem contrariam, &c. Ut ordinatè procedamus.

224. Diſpiciamus *1mò.* An deſinente cauſa finali, deſinat & ipſa lex? ceſſare legem deſinente cauſa finali *contrariè*, id eſt emergente ratione adverſante fini, ob quem lata eſt, ſeu quando obſervantia legis redderetur mala; certum eſt. Sic excuſatur à jejunio ægrotus, & debilitatus. Sic depoſitarius liberatur ab obligatione reſtituendi depoſitum repetenti; ſi detrimentum indè immineat, vel ipſi deponenti, vel alteri innocenti. Zoës. *ad tit. De LL. SCtis & long. conſvet. n. 57. in fin.*

225. An etiam ceſſet lex deſinente causâ finali *negativè*; ſeu *contradictoriè*; in eſt; quando præcisè finis legis deſinit ſubſiſtere? diſputatur. Ante reſolutionem juvabit adnotâſſe *1mò.* quòd finis legis interdum ceſſet reſpectu perſonæ, & casûs particularis, aliquando verò reſpectu totius communitatis, & in omni caſu. *2dò.* quòd non raró lex feratur ob diverſos fines; prout v. g. tributum per legem imponi poteſt ad reparandum urbis fortalitium, ad alendos milites, &c. *3tiò.* quòd lex aliquando rem indiviſibilem, aliquando diviſibilem, imò & plura ſpecie diſtincta præcipiat, aut prohibeat. Sic lex Mechanicis prohibens ferre gladium, rem indiviſibilem vetat. Lex autem recitandi Horas Canonicas, rem præcipit diviſibilem. Lex Porrò jejunij plura ſpecie diſcreta jubet, nempe abſtinentiam à carnibus, & unicam refectionem. Nunc

226. ℞. & DICO 1*mò.* Deſinente ſimpliciter causâ finali reſpectu totius communitatis, ceſſat & ipſa lex, quæ rem indiviſibilem præcipit ob unicum finem. *Ratio:* quia ſicut lex ab initio ſinè ratione lata non ſubſiſtit, utpote bono communi inutilis; ità pariter ſubſiſtere deſinit, deſinente adæquatâ ratione, ob quam condita fuit. Planè ſicut *ceſſante causâ, ceſſare debet effectus. cap. cum ceſſante. De appellation. Dictum 1. deſinente ſimpliciter,* Nam ſi cauſa finalis tantùm ad tempus aliquod deficiat, lex abſolutè non ceſſat, ſed tantiſper ſopita manet, reaſſumptura vires, ſi cauſa finalis revixerit. *Dictum 2. quæ rem*

rem indiviſibilem, &c. Si enim præcipiat rem continentem plures partes, à ſe invicem ſeparabiles, aut plura diſparata; tunc ceſſante ratione, ob quam una pars præcepta eſt, remanet lex quò ad alteram partem. *Dictum 3tiò. Ob unicum finem.* Siquidem, ſi ob plures fines; uno deficiente non deſinet lex ſi alij finem ſint adhuc ſufficientes. Quò pactô: ſi Epiſcopus jejunium indixiſſet ob pacem: ſerenitatem, fertilitatem obtinendam, obtentâ pace adhuc foret jejunandum.

227. DICO *2dò.* Dum cauſa finalis in aliquo tantùm caſu, aut perſona particulari videtur deſinere, non deſinit lex obligare reſpectu illius. ità Zoës. *loc. cit. n. 38.* & DD. communiter. *Ratio:* quia intereſt boni publici ab omnibus ſervari leges, pro omnibus communiter conſtitutas, tum ut in membris ſervetur uniformitas, tum ut efficaciùs obtineatur finis legis. Plurimi ſanè facilè ſibi perſvaderent, finem legis ceſſare, ubi reapſe non ceſſaret. Ponamus, Principem prohibere armorum geſtationem, ut vitentur duella, rixæ, homicidia, &c. nunquid hic dicere poteſt, ſe eſſe ſenem, alter, ſe nullum habere inimicum, tertius ſe eſſe pacifici genij; Quartus, ſe pugnas exhorrere? &c. quô pactô pauciſſimi ad hujus ſaluberrimæ legis obſervantiam obſtricti forent; igitur, ut præſcindatur via eludendi legiſlatori, & elidendi legis vigorem; Jure meritò etiam in caſu concluſionis, ab omnibus ſervanda eſt, præcipuè cum utilitas, & bonum Reipublicæ præponderet bono, & commodo hominis privati. Quocircà & timoratiores Theologi, qui etiam fiudciam ſtudiorum ſuorum habent, non legunt ſinè habita facultate Hæreticorum libros, tametſi ceſſet reſpectu eorum perverſionis periculum, ob quòd lectio iſta prohibita eſt. *Ratio* compendioſa & peremptoria eſt, quod cauſa prohibitionis iſtiusmodi legis non ſit damnum communitatis, aut ſcandalum actuale, perverſio hominis privati, &c' ſed occaſio de ſe nata, ut plurimùm talia cauſare.

228. Ab extrinſeco legem mutari contingit, actione contrarij agentis, puta Principis, obligationem ejus auferentis, cujus, ùt eſt legem ponere; ità & tollere, poſtulante id ratione, & bono communi, ſive legem priorem tantùm deſtruendo, ſive inſuper contrariam ſtatuendo. eſt enim poſterior potior. *L. ſed & poſteriores 38. ff. de LL. SCtis, &c.* Idem & conceſſum conſvetudini legitimè præſcriptæ, & fultæ debitis conditionibus, de quibus vide Zoës. *ad ff. tit. cit. à n. 70.* & ad Decretales. *tit. de conſvetudine. per tot.* hæc mutatio eſt vel in totum, & dicitur *abrogatio*: vel pro parte; & dicitur *derogatio*;

cui

cui affinis eſt *diſpenſatio*, quæ eſt Juris communis relaxatio, facta cum cauſæ cognitione, ab eo, qui jus habet diſpenſandi. *Gloſſa in Can. requiſitis 1. q. 7. ℣, ut plerisque.* Aut lex ab inferiori Magiſtratu conſtituta, authoritate ſuperioris reſcinditur, ſeu viribus exuitur, & dicitur: *irritatio.*

229. Quæſtione dignum; an poſſit legislator abſque cauſa bonum commune reſpiciente abrogare legem? & ℞. poſſe validè, non licitè. *Validè* inquam, quia per quascunque cauſas res naſcitur, per eaſdem diſſolvitur; atqui lex naſcitur per voluntatem legislatoris. ergo per eundem poteſt abrogari. Quamobrèm, ſicut potuit ab initio, licèt irrationabiliter, non ferre legem utilem, ità poteſt deinceps, licèt irrationabiliter, eam tollere; & ità quidem, ut ab omni legis obligatione liberentur ſubditi. Non tamen *licitè* legem Reipublicæ utilem abſq; legitima cauſa abrogat; quia hoc eſſet abuti poteſtate, & Jurisdictione, leges & legislatores contemptui exponere, populúmq; legibus receptis aſſvetum perturbare. Quia ùt atteſtatur Pontifex *in extravag. inter cunctas. § Janè. De Privileg plerúmque pariunt novitates diſcordiam, præſertim, dum ab eò; quod diu æquum viſum eſt, per novam Conſtitutionem receditur; nec quare recedatur utilitas evidens, aut alia cauſa ſubeſt.* Quare & Imperator *L. 3. ff. De Conſtitution. Princip.* rectè monet, non niſi gravi de cauſa abrogandas. aut immutandas eſſe leges.

230. Poterítne quis abrogare legem quidem ſuam, ſed à ſuperiore confirmatam. ℞. aut confirmata fuit in favorem communitatis, aut in favorem legislatoris? ſi primum, non poteſt illam abrogare, quia ſuperior (in quem inferior imperium non habet) fecit illam quaſi ſuam. Si ſecundum; poteſt: quia cenſetur illam ſolùm confirmâſſe, ut haberet plus ponderis, & roboris.

231. Quæri poteſt, quandonam lex prior cenſeatur eſſe ſublata per poſteriorm? ℞. *1mò.* Nova lex ſeu conſtitutio Principis tollit priorem ſibi directè contrariam, etiamſi de ipſa non faciat mentionem. Zoës, *ad tit. Juris Can. De conſvet. n. 12.* éſtque clarè deciſum. *cap. 1. De conſtit. in 6.* Dixi: *directè contrariam.* Non interveniente enim tali expreſsâ contrarietate, apta textuum conciliatio quærenda eſt, ut Jura concordent Juribus. *Cap. cùm expediat. 29. De Election. in 6.* quia Jurium correctio ceu odioſa pro poſſibili evitanda, ſicut ſupra monuimus, & latiùs tradit Reiffenſtuel *ad tit. De conſtitution. n. 492. & ſeqq.*

232. ℞. *2dò.* Lex generalis poſterior, non tollit legem priorem ſpecialem, ſed per hanc reſtringitur, & limitatur. Nam in toto Jure verum eſt, quòd generi per ſpeciem derogetur. vide dicta *ad Regulam 34. Juris in 6.* Qua ratione leges generales de Teſtamentis editæ, non comprehendunt Teſtamenta ad pias cauſas, aut Teſtamenta militum, vel alia privilegiata, quia hæc regulari debent ſecundùm leges ſpeciales. Neque viciſſim hujusmodi ſpeciales leges circa Teſtamenta privilegiata emanatæ tollunt alias leges circa Teſtamenta generaliter latas; ſed has duntaxat diſtinguunt, ac limitant.

233. ℞. *3tiò.* Lex nova ſive conſtitutio Principis generaliter lata, non tollit, nec revocat rationabiles conſvetudines. & particularia ſtatuta locorum, nisì id exprimat Text. clarus *in cit. c. 1. De conſtit. in 6.* qui hoc decidit, ſubjuncta ratione, quòd legislator non cenſeatur ſcire facta particularia, ad quæ ſpectant particulares locorum conſvetudines, atque ità non cenſetur eas revocare, non factâ illarum expreſſa mentione. Zoës. *ad Dicret. tit. De conſvet. n. 12. & ſeqq.* ubi id etiam procedere dicit in lege civili ſeu imperiali. Quòd ſi verò legislator v. g. Pontifex exprimat, ſe velle derogare etiam particularibus locorum conſvetudinibus, aut ſtatutis; reverà iſtis derogatur, quia Pontifici nec deeſt tunc voluntas, neque poteſtas.

234. Præcedenti affinis ſubintrat hìc quæſtio, an ad derogandum Decretis Concilij generalis requiratur hujus expreſſa mentio? *Ratio* dubitandi eſt, quòd Decreta Concilij generalis valde maturâ deliberatione ſint condita, ac proinde videantur continere tacitam clauſulam derogatoriam omnium poſteriorum conſtitutionum, quæ illis contrariæ fuerint, nisì de ipſis ſpecialem fecerint mentionem. Verùm diſtingvendo inter conſtitutiones tum Conciliares, tum Pontificias & inter Reſcripta. ℞. *1mò.* Poſteriori Decreto Concilij generalis, tollitur prius, eidem directò contrarium, tametſi in poſteriori non fiat mentio de priori Concilio, nec eidem expreſsè derogetur. ità Proſper Fagnanus *in cap. nonnulli n. 81.* *Ratio*: quia utrúmque Decretum pari induſtriâ, conſiliô, & maturitate conceptum. ergo locum habet deciſio *cap. 1. de Conſtit. in 6.* quòd videlicet poſteriora derogent prioribus.

235. ℞. *2dò.* Etiam per novas conſtitutiones Pontificis derogatur prioribus Decretis concilij generalis ſibi directè contrarijs, licèt in ipſis non fiat expreſſa mentio, aut derogatio Concilij generalis.

Gloſſa

Gloſſa *in cap. 1. ℣. noſcatur De conſtit. in 6.* Cùm enim Pontifex omnia Jura, duntaxat humana, in ſcrinio pectoris ſui habere noſcatur, conſtitutionem condendo poſteriorem, cenſetur revocare priorem ei contrariam, maximè, cùm Pontifex ſit ſupra Concilium generale, & hoc ab illo authoritatem accipiat. *per Cap. ſignificâſti 4. de Elect.*

236. ℟. *3tiò.* Literæ Apoſtolicæ, ſeu Reſcripta Pontificia per generalem clauſulam derogatoriam non derogant Decretis Concilij generalis, ſed opus eſt expreſsâ mentione hujusmodi Decretorum. ità *Gloſſa cit*, aſſignans diſcrimen inter conſtitutiones & Reſcripta Pontificia, quòd ſcil. maturiùs fiat legis promulgatio, quàm Reſcripti conceſſio Fagnan. in *cit. cap. nonnulli n. 28. & ſeqq.* & noviſſimè Cardinalis De Luc. *tom. 1. Diſcurſu 1. n. 12. Felin. in idem cap. nonnulli n. 2.* Tum etiam; quia Reſcripta diriguntur ad particulares perſonas, & directè tendunt in favorem privatorum, Principi ſupplicantium: Leges verò & conſtitutiones, ſicut & Decreta Concilij genalis, feruntur pro toto orbe Chriſtiano, ac proîn cum majori diſcuſſione ac maturitate. Igitur Reſcripta Pontificia, conſtitutionibus & Decretis Conciliorum generalium non præjudicant per clauſulam generalem. *non obſtantibus quibuscunque*, aut ſimilem. Aliud eſt, ſi Pontifex de Conciliari Decreto mentionem expreſſam faciat, tunc enim non deficiente, nec voluntate, nec poteſtate, utique derogat Decreto Concilij generalis, etiam noviſſimi, quale nunc eſt Tridentinum, quidquid alij contradicant. *Ratio*: quia in ipſomet Concilio Tridentino *Seſſ. 25. cap. 21. De reformat.* ſalva & præſervata fuit Sedis Apoſtolicæ authoritas, quod & patet: ex conſtitutione Pij IV. hujus Concilij confirmatoria. Confer Card. de Luca. *loc. cit. n. 14.* & *Diſc. 46. de Beneficijs. n. 13.*

237. Subjiciamus quæſtionem, an Capitula, & aliæ communitates, poſſent tollere, aut revocare ſtatuta à capitularibus jurata? ℟. Canonici, aut alterius communitatis membra juſtis de cauſis tollere, & caſſare poſſunt ſtatutum à ſe juratum, dummodo non juraverint obſervare contenta in ſtatuto. *Ratio 1. p.* eſt, quod Juramentum perſonale ſingulorum v. g. Canonicorum eò tendat, quòd velint obſervare ſtatuta Capituli, quæ extant, non autem, ſi illa contigerit per Capitulum, aut communitatem ex novis cauſis emergentibus revocari, aut abrogari. Igitur ſublato per Capitulum collegialiter congregatum, ipſo ſtatuto, utpote principali, ſuâ ſponte ceſſabit Juramentum ſingulorum Canonicorum, velut quid acceſſorium. & ità

ità tenent Abbas, Panormit. *in cap. cùm acceſſiſſ nt. n.* 4. Felinus. *ibid.* 11. & 12. *De conſtitution.* Fagnanus. *in C. Dilecto. n.* 20. & 21. *De Præbend.* *Ratio* 2. *p.* eſt evidens, quia jurans obſervare contenta in ſtatuta, non obligat ſe ſolùm ad obſervantiam ſtatuti in ſuo vigore extantis, ſed ad obſervantiam contentorum in illo, proin abſque perjurio contravenire non poteſt, nisì fortè authoritate Pontificis fuerit diſpenſatum ſuper obligatione Juramenti. Equidem ſi quis Juramento contravenerit, valet, quod geſtum eſt, quia actus contra Juramentum geſtus regulariter tenet, licèt agens ſit perjurus. Zoës. *ad Tit. De jurejurando. n.* 58. Azor *inſtit Moral. p.* 1. *lib.* 10. *cap.* 5. *q.* 3.

238. Addamus quædam de Diſpenſatione. *Diſpenſatio* ſtrictè, eſt relaxatio obligationis legis reſpectu casûs, aut perſonæ particularis facta, in ijs circumſtantijs, in quibus alioquin lex obligaret; ut diſtet ab *Epikeïa*, quæ fit in caſu, quo creditur lex non obligare. Dixi: *perſonæ particularis.* Sub qua comprehenditur etiam Congregatio, Conventus, Religio, &c. quæ ſunt perſonæ fictæ.

239. *Quæres*: Quis in lege humana diſpenſare poſſit? ℞. 1. Jure ordinario diſponſare poteſt in ſuis legibus legislator ipſe, ejus ſuperior, & ſucceſſor in jurisdictione. Quocirca Pontifex diſpenſare poteſt in legibus Conciliorum generalium, Canonibus Apoſtolorum, imò & Divi Petri. Nam reſpectu Concilij generalis eſt caput, reſpectu Divi Petri æqualis, reſpectu aliorum Apoſtolorum ſicut & Epiſcoporum eſt ſuperior. *Dixi: Canonibus Apoſtolorum:* illis videlicet, quos Apoſtoli ceu Eccleſiæ Miniſtri & Rectores condiderunt, utputa de jejunio Quadrageſimali, obſervatione Dominicæ, non ordinandis Pigamis, & ſimilibus, non tamen valet diſpenſare in illis canonibus Apoſtolicis, quos Apoſtoli, non tanquam Eccleſiæ Prælati primùm conſtituerunt; ſed jam à Chriſto Authore poſitos, ceu Miniſtri Eccleſiæ promulgârunt: ùt puta de Baptiſmo parvulorum, de confirmandis Baptizatis, de inſolubili vinculo Matrimonij conſummati: ac hujusmodi. Azor *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 15. *q.* 4.

240. DICES. Ergo Patriarcha, Primas, aut Archi-Epiſcopus, diſpenſare poterunt in legibus ſuorum Epiſcoporum, quibus præſunt. ℞. *N. ſequel.* quia nec in illos, nec in ſubditos ſuffraganeorum ordinariam habent jurisdictionem, neque in illos quid Juris prætendere poſſunt, nisì ut eorum negligentiam ſuppleant, vel cauſa per appellationem ad eos fuerit devoluta. Zoës. *ad Tit. Decretal. De officio judicis Ordin. n.* 11. quod ſecùs eſt in ſummo Pontifice, qui etiam immediatè,

diatè, & in prima inſtantia omnium cauſas cognoſcit. *Can. ſalvo IX. q.3.* cùm ſit omnium Judex ordinarius, qui quidem alios vocavit in partem Miniſterij, nullam tamen ſibi ademit poteſtatem.

241. ℞ *2dò.* Nullus inferior, quacunque dignitate fulgens, poteſt in lege ſuperioris diſpenſare, niſi id ei Jure, vel conſvetudine indultum. *Ratio* eſt evidens, quia inferiori deeſt jurisdictio & imperium in legem ſuperioris. Unde

242. Fluit, Epiſcopum non poſſe diſpenſare in legibus ſummi Pontificis, Parochum in lege Epiſcopi, Provincialem alicujus Religionis in ſtatutis Capituli Provincialis, &c. ratione, quòd reſpectu illorum ſint verè inferiores.

243. *Dixi* tamen: *niſì*, &c. ſic Epiſcopis, certis in caſibus, diſpenſare conceſſum in legibus Pontificijs. Et *1mò* quidem dum verbis expreſsis id ijs indulget Pontifex. *2dò* in materia levi aut leviter obligante Reiffenſt. *ad tit. De conſtit.* §. *18. n. 473.* Non enim veriſimile, Pontificem in re modica reſervâſſe ſibi facultatem diſpenſandi, præcipuè reſpectu ultramontanorum, qui non abſque magna difficultate Romam tendere poſſunt. *3tiò* ſaltèm ex conſvetudine in ijs, quæ frequenter occurrunt; ùt in jejunijs, Feſtis, Horis Canonicis, &c. quia id exigit ſvavis, & facilior ſingularum Diœceſium gubernatio. Hac quoque viâ diſpenſare poſſunt Parochi in jejunio, in abſtinentia à labore ſervili, in diebus feſtis; ídque ex conſvetudine, quæ tamen utpote Jure communi contraria amplianda non eſt. *4tò* occurrente neceſſitate gravi, ob quam planè nullus, aut admodùm difficilis eſt ad Papam, aut Legatum, aliúmve Privilegiatum recurſus, ùt puta ob infirmitatem, paupertatem, &c. *5tò.* Poteſt Epiſcopus diſpenſare quoties dubium eſt, an caſus indigeat diſpenſatione. *Arg. cap. cùm deſideres.* §. *ſecundò. De ſent. Excom.* *Ratio*: quia reſervatio diſpenſationis eſt odioſa, ergo reſtringenda. ità Sanchez; Layman, Barboſa, Diana apud Reiffenſt. *loc. cit. n. 474.* Porrò poteſtas diſpenſandi in prædictis caſibus, quos ſpeciatim recenſet Speculator *lib. 1.* §. *De Diſpenſatione.* eſt ordinaria, ac proin ſede vacante etiam competit Capitulo. DD. apud Reiffenſt. *loc. cit. n. 475.*

244. Quid ſi quis abſque rationabili cauſa diſpenſet in lege? ℞. ſi legislator, aut ejus ſucceſſor ità diſpenſet, validè quidem, ſed illicitè agit. Conſtat ex dictis. Nam pro *1ma parte* datur *Ratio* quòd, ſicut obligatio legis in fieri dependet à voluntate legislatoris, ità in conſervari. Proindè, ſicut potuit ab initio legislator aliquam perſo-

nam ſua lege non comprehendere, ita deinceps eandem eximere ab obligatione legis. *Ratio 2. p.* eſt, quòd ſinè rationabili cauſa diſpenſans non tam ſit diſpenſator, quàm crudelis diſſipator, abutens in deſtructionem, poteſtateſibi datâ ad ædificationem. Confer. Concil. Trident. *Seſſ. 25. De reformat. cap. 18.* Cæterùm ſinè juſta cauſa diſpenſatus, tutâ conſcientiâ, uti poteſt ſuâ diſpenſatione, cùm ſit verè à lege exemptus, modò vitetur ſcandalum, diſpenſatorémque, ad taliter levi brachio diſpenſandum, non impulerit.

245. Aliud obtinet in inferiore abſque cauſa diſpenſante in lege ſuperioris: hic enim invalidè agit. *Ratio*: quia in tantùm poteſt inferior diſpenſare in lege ſuperioris, in quantùm id ipſi permiſſum eſt, non eſt autem credibile; quòd ſuperior conceſſerit inferiori facultatem diſpenſandi abſque cauſa. ergò. vide Reiffenſt. *in Theol. moral. Tract. 2. Diſt. 4. n. 16. & ſeqq.*

246. ROGABIS: An valeat diſpenſatio, quando pro ea obtinenda quis allegavit cauſam falſam? vitiari ſæpe contingit reſcripta, & diſpenſationes per *obreptionem* quæ eſt allegatio falſi, & *ſubreptionem*, quæ eſt ſuppreſſio veri. Quæritur igitur an, ſi cauſa falſa allegata, precésque veritate non nitantur, adhuc valeat diſpenſatio? ℞. aut allegatio falſi fuit *cauſa finalis* diſpenſandi, & non ſubſiſtit eſt, quia hæc cauſa erat conditio *ſinè qua non* ſubſiſtit, voluntas diſpenſantis. Aut fuit cauſa ſolùm *impulſiva*, id eſt: non movens abſolutè, ſed ſolùm inclinans ad faciliùs diſpenſandum; & tunc cum Innocentio III. *cap. ſuper literis 20. De Reſcript.* ſubdiſtinquendum, ut ſi per malitiam & fraudem falſum ſit expreſſum, aut etiam verum ſuppreſſum, impetrans in ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex literis iſtis conſequatur commodum; ſi verò per ſimplicitatem hoc ipſum contigerit, aut per ignorantiam, adhuc valeat reſcriptum, ſi cognitâ veritate nihilominus fuiſſet reſcripturus. Confer. Zoës. *ad tit. De Reſcript. n. 29. & 31.* Igitur conditio: *ſi preces veritate nitantur.* intelligenda de ſubſtantialibus, ſeu ijs, ex quibus gratia pendet, aliàs non concedenda.

247. Sed hæc teſte eòdem Zoëſio *loc. cit. n. 32.* ità procedunt, niſi tales ſint cauſæ, quibus licèt expreſſis, Princeps eadem facilitate erat conceſſurus gratiam, equidem Jura ſpecialiter eas jubent exprimi, ad vitandam ſubreptionem. *Ratio*: quòd tunc Jura requirant earum expreſſionem pro *forma*, quæ ad unguem obſervanda eſt etiam in minimis. Exemplum eſt in *cap. ſi motu. De Præbend. in 6.* ubi

gratia

gratia conceſſa, non factâ mentione Benficij quantumcunque modici, quod poſſidebat impetrans ſecundum, judicatur *ſubreptitia*, licèt hoc expreſſum non impediviſſet gratiam. Idem planè dicendum, de qualitate ex ſtylo Curiæ, aut Cancellariæ exprimenda, non attento, an eâ expreſsâ Princeps fuiſſet petita conceſſurus nec ne, cùm ſtylus Curiæ jus faciat, & ab eo non recedendum. Idipſum dicito ſi conſvetudo habeat, ut aliquid ſit neceſſariò explicandum. Nam & ea jus facit.

248. PETES: An pœnam irritationis Reſcripti gratioſi ſeu diſpenſationis, ipſo Jure cauſet doloſa ſubreptio? ℞. affirmativè per textum expreſſum *in cap. fin. De filijs Presbyt. in 6.* ſaltèm quò ad eam partem, quam ſubreptio afficit. Aliud eſt in Reſcripto juſtitiæ, quod impetratum per doloſam ſubreptionem, circa cauſam duntaxat *impulſivam*, non tam ipſo Jure nullum eſt, quàm potiùs exceptione doli oppoſitâ, & probandâ, irritandum. *Ratio*: Diſcriminis eſt, quòd reſcripta juſtitiæ ſeu ad lites (quæ videl. dantur, vel ad jus explicandum, vel dicendum inter partes) comparentur contractibus *ſtricti Juris*, Reſcripta verò gratiæ, contractibus *bonæ fidei*. ùt autem in his exuberare debet bona fides, quæ non fert dolum, ità & in reſcriptis gratiæ, intervenire non debet, quod bonæ fidei adverſetur.

249. Quid ſi pro diſpenſatione obtinenda, citrà dolum allegatæ ſint duæ cauſæ, una vera ſufficiens ad diſpenſandum, & altera falſa? Non eſt quæſtio, ſi ex disjunctivè allegatis, altera vera ſit, altera falſa, cùm in alternativis ſufficiat alterum adimpleri, ùt habet *Regulâ Juris in 6* ſi cauſæ copulativè adductæ ſint, & altera, ùt ſupponitur, per ſe ſit ſufficiens ad movendum Pontificem, non poterit adhuc ſubreptionis alicujus argui diſpenſatio, cùm cauſa, quâ nititur, vera ſit. Unde iſto caſu copulativa reſolvitur in disjúnctivam, nè utile per inutile vitietur. & ità tenet Gloſſa *in cap. 2. ℣. perpetuò. De Reſcript. per text in cap. 4. eod.* DIXI: *citrà dolum.* Nam ſi malitioſè una cauſa falſa, quæ ad rem faciat, expreſſa fuerit; nullum eſt Reſcriptum in pœnam mendacij, ùt dictum. Quòd ſi falſi expreſſio nihil ad rem conferret, ut ſi quis ſe dixiſſet Medicum, cum eſſet Mercator; adhuc ſubſiſteret diſpenſatio, quia non cenſetur diſpenſans ullatenus indè motus fuiſſe. Si

250. SCISCITERIS: An per mortem diſpenſantis exſpiret diſpenſatio? ℞. *Negat.* quia diſpenſatio eſt donatio cujuſdam gratiæ, gratia autem non exſpirat mortuo concedente. Diſtinquendum tamen,

tamen, an gratia ſit abſolutè & plenè facta, & hæc, utpote habens ſecum eſſe perfectum, contrario caſu ſuperveniente non immutatur. Aut eſt gratia primùm facienda, & tunc exſpirat, inſtar mandati quod ceſſat morte mandantis, re tamen integrâ. *cap ſi cui 36.* ubi Gloſſa *De Præbend. in 6.* Idem dic, ſi gratia facta ad concedentis placidum, quia amplius velle poſt mortem non habet. Quod & rectè dicetur, ſi concedens officio ſit defunctus. Nam non habens officium, ampliùs probare vel improbare nequit. Ad beneplacitum ſedis conceſſa gratia, non exſpirat morte concedentis, quia ſedes eſt perpetua, adeóque durat, donec à ſucceſſore revocetur. *cap. ſi gratiosè 5. De Reſcript. in 6.*

251. QUÆRITUR adhuc: An ceſſante cauſâ diſpenſationis, ceſſet diſpenſatio? ſi ceſſet ante expeditionem literarum diſpenſatoriarum, non ſubſiſtit, ſtat tamen, ſi adfuerit tempore diſpenſationis factæ, licèt non extiterit tempore petitæ diſpenſationis. & *Ratio*: quia cauſa ſubſiſtere debet, quando movet diſpenſantem. Unde ſi cauſa non ſubſiſtebat tempore diſpenſationis, licèt paulò poſt incipiat ſubſiſtere, antequam opus diſpenſatum executioni mandetur; nihilo magìs ſubſiſtit diſpenſatio.

252. Hìc Porrò adnotabis ex tribus cauſis à Tridentino aſſignatis cohoneſtari diſpenſationem: neceſſitate videl. pietate; & utilitate.

SECTIO QUARTA.

DE

Jure Humano ſacro ſeu Canonico.

Meritò ſacra prophanis, proin. Jus Canonicum, Civili præferimus, tum propter perfectionem finis, ad quem ordinatur, tum propter præeminentiam Authoris, à quo conditur, tum propter nobilitatem ſubjecti, quod reſpicit. Sit proindè

§. PRI-

§. PRIMUS.

Quid, & quotuplex ſit Jus Canonicum, & unde ejus origo?

1. JUs Canonicum, eſt Jus poſitivum ex ſacris Canonibus collectum, ad rectè vivendum, æternámque ſalutem conſequendam conſtitutum, unde patet, illud ex fine primario, & per ſe intento diſtingui à Jure Civili. ad quod ſe habet ùt anima ad corpus. Licèt autem non præſtet Theologiæ (quia hæc pro objecto habet DEUM; ùt DEUS eſt, Jus Canonicum autem conſiderat animam rationalem ùt dirigibilem in vitam æternam) equidem, ſi agatur de promotione ad dignitates, quibus incumbit cura animarum, & præſertim ventilatio cauſarum, & ampla jurisdictio v. g. ad Epiſcopatum; Cæteris paribus Canoniſta præferendus puro Theologo, etiam in locis hæreſi infectis, quia omnis bene in Jure Canonico verſatus, ultra ſuperficialem ſaltem ſcientiam, de ſumma Trinitate & Fide Catholica, de Hæreticis, & pœnis eorundem; practicam habet notitiam, tractandi alias cauſas Eccleſiaſticas in Judicijs, novítque ordinem judiciarium, quô contra Hæreticos præcedendum, &c. ubi puro Theologo oſcitandum, & hæret aqua.

2. Jus Canonicum perinde ac civile dividitur *1mò* in ſcriptum, & non ſcriptum, ſeu conſvetudinarium Traditiones & uſus laudabiles continens. *Can. jus generale, Diſt. 1.* *2dò* aliud eſt commune, aliud ſpeciale. Jus Canonicum *commune* dicitur, quod pro univerſa Eccleſia latum eſt, omnéſque indiſtinctè fideles obligat. *Speciale* verò, quod pro certo loco, Provincia, Diœceſi, vel communitate latum fuit, ac proinde extra fines ipſius non obligat, ùt ſunt diverſæ conſtitutiones ſynodales Diœceſium, aut Provinciarum. *3tiò* Jus Canonicum aut legitima authoritate in Corpus Juris Canonici translatum fuit, & ſic ſpecialiter *Jus commune Pontificium* nuncupatur; aut extra Corpus Juris continetur, & vagatur, ùt ſunt varia Decreta Conciliorum generalium, ac præſertim Concilij Tridentini, ſicut & quàmplurimæ Decretales ſummorum Pontificum, quæ corpori Juris necdum inſertæ.

4. Originem Juris Canonici ſi perquiras? ℞. primævam originem refundendam eſſe in DEUM ter Opt. Max. qui primus Decalogi præcepta, aliáſque rectè vivendi regulas in ſacris literis humano

 generi

generi tradere, ac præcipere dignatus eſt, ut non immeritò Jus Canonicum vocitetur *Divinum. cap.2. De Transl. Epiſc. c. 2. de Privileg in 6.* Equidem cauſa ſecundaria, & mediata hujus Juris ſunt Pontifices, & Concilia. *c. 2. §. porrò. Diſt. 3.* De Progreſſu illius multa apud Reiffenſt. *in Proemio ad Jus Can. §. 4. à n. 53.* & P. Schmier. *lib. 1. Tract. 1. cap. 5. §. 3.* videre poteris.

§. II.

Quæ ſint partes Juris Canonici, & quæ harum authoritas? ubi & de Declarationibus Cardinalium, & Deciſionibus Rotæ.

4. CORpus Juris Canonci, prout nunc extat, ſex partibus diſtinguitur, duntaxat Decreto Gratiani, Decretalibus, ſexto Decretalium, Clementinis, Extravagantibus, tum Joannis XXII. Tum communibus. In noviſſimis editionibus, alius quidem extat liber, qui ſeptimus Decretalium appellatur, cujus author eſt Petrus Matthæus ICtus Lugdunenſis. Item inſtitutiones Lancelloti ICti Peruſini. Verùm hi duo libri, Corporis Canonici membra non ſunt, utpote nullius Pontificis expreſsâ authoritate fulti, & confirmati, ſed tolerantur propter utilitatem. Si

5. QUÆRAS: Num recenſitæ Juris Canonici partes in ſcholis, & Foro authoritatem habeant deciſivam? ℟. certum eſt Decretales Gregorij IX. & Bonifacij VIII. item Clementinas conſtitutiones (à Clemente V. ſic dictas) nec non Extravagantes, tum Joannis XXII. tum communes, pleniſſimam habere Juris authoritatem deciſivam, cùm eas ſummi Pontifices vel hac intentione ediderint, aut ab alijs editas ſuas fecerint. Confer Reiffenſt. *in Proëm. à n. 83.* Nec minus indubitatum, quin *7mus* Decretalium & inſtitutiones Lancelloti careant tantâ vi, & Juris authoritate, ex oppoſita ratione data. Nec obſtat; quòd *ſeptimus* ille Decretalium, ex variorum Pontificum Bullis & Conſtitutionibus ſit collectus. Non conſtat enim ejuſmodi Bullas Extravagantes ſufficienter eſſe promulgatas, aut ſuis concordare fontibus. Proinde nihil probant, niſi in forma authentica producantur

6. De authoritate Decreti Gratiani ſolet moveri quæſtio? ſed breviter ℟. cum probabiliori, & communiori ſententia, textus in iſthoc Decreto contentos, ad ſuos reducendos eſſe fontes, iiſque

iisque conſonantes, pari gaudere authoritate. Proinde ſi textus ſit alicujus ſummi Pontificis, vel Concilij generalis, deciſivè loquentis, vim legis obtinebit; ſi verò textus fuerint alicujus ſancti Patris, vel ipſiusmet Gratiani (qui authoritate legislativâ carebant) planum eſt; nec textus ipſos pollere iſthac authoritate deciſivâ, ùt ùt præferendi ſint ſingularibus aliorum Doctorum opinionibus. Porrò; ſi quædam ex conſtitutionibus Imperatorum, & legibus Civilibus inſperſa reperias, ea non aliter in foro Eccleſiaſtico vim obtinebunt, quàm quatenus nominatim recepta vel (ùt ajunt) Canonizata fuerint. vide latè Reiffenſt. *loc. cit. n. 63. & ſeqq.*

7. Nec contra movet Epiſtola Gregorij XIII. iſti Decreto præfixa, unde authoritatem nanciſci videtur. Nam ex Epiſtola iſthac plus non probatur, quàm quòd idem Pontifex præfatum Gratiani Decretum cum vetuſtiſſimis codicibus, ex quibus Gratianus plerá que excerpſerat, conferri, & dehinc à mendis repurgari fecerit, ut talem ſaltèm nunc fidem mereatur, quantam, ſi originalia producta eſſent. Confer Schmalzgruber *in Proëm. ad Decretales n. 26.* Notat tamen Reiffenſt. *loc. cit. n. 82.* varias erroneas opiniones, quas ſuo inſeruit operi Gratianus. Unde Bartholom. Cepolla. *Tomo 1. Tract. De cognit. libror. Juris Canonici. n. 27.* concludit, quòd liber Decretorum non ſit approbatus, quantùm ad quædam dicta Gratiani, quæ quotidie reprehenduntur.

8. Nonnulla Capitula Decreti *Palea* inſcribuntur. Quæritur cur? quidam per Capitula *Palea* inſcripta, ea intelligi volunt, queîs de rebus vilioribus tractatur. Sed haud rectè; ùt patet ex *Can. Conſtantinus.* ubi ſub duplici capitulo *Palea* inſcripto rerum graviſſimarum mentio fit, videl. quòd Idem Pientiſſimus Imperator Baſilicam D. Petri, Palatium Lateranenſe, &c. conſtruxerit. Fit itidem mentio ampliſſimæ Donationis Sylveſtro Papæ factæ. Tranſlati in Occidentem Imperij, &c. ſunt igitur Capitula, quæ *Palea* inſcribuntur, additiones quædam, à quodam Cardinali, volente ſibi vendicare operis iſtius ſtructuram, adjectæ, quas ipſe Gratianus agnoſcens de ſuo non eſſe grano, *paleas* vocitavit. vide Reiffenſt. *loc. cit. à n. 94.*

9. QUÆRI poteſt: Num Rubricæ Corporis Juris Canonici ſint authenticæ? Rubricarum nomine veniunt ſuperſcriptiones, queîs tituli librorum, diſtinctiones cauſarum, legum, ſeu ſtatutorum, prænotantur, & generaliter exprimitur de quo potiſſimùm ibidem tractetur. Dictæ indè, quòd olim rubrô charactere ſcribi, conſvetum

fuerit textu reliquo nigrîs literîs expreſſo. ℟. Rubricas Decretalium, Clementinarum, ac Extravagantium fore authenticas. ex *Ratione*, quòd authoritate Pontificia ſint additæ, & unà cum tota compilatione approbatæ, prout conſtat ex *Proëmio Decretalium.* Tum Gregorij IX. ibi: *illas in unum volumen, reſecatis ſuperfluis, providimus redigendas* Tum ſexti Decretalium Bonifacij VIII. ibi: *in unum librum redigi mandavimus, & ſub debitis titulis collocari.* De Rubricis Decreti Gratianæi aliud dicendum; Tum quia teſte Abbate in *Proëmio n. 8.* non fuerunt editæ à Magiſtro Gratiano; Tum quia Rubricæ majoris ponderis non ſunt, quàm ipſum Decretum, quod pro authentico, hactenus expreſsè approbatum non fuit. Unde.

10. Sequitur, quòd Rubricæ Decretalium & legum rectè allegentur in judicijs, atque ad deciſionem cauſarum; ità quidem ut *1.* ſi ſenſus ſit completus v. g. *Nè ſede vacante aliquid innovetur.* habeant authoritatem deciſivam. *2dò. Declarativam*, cùm nigrum obſcurum vel ambiguum; rubrum verò clarum eſt. *3tiò. Extenſivam* ſi ſcilicet Rubrica generalior ſit nigro, & habeat perfectam orationem. Tunc enim nigrum ampliat, niſì indè conſurgeret correctio inter nigrum, & rubrum; vel ſtylus, & conſvetudo aliud habeant. Porrò Rubricæ authenticæ utiliter allegantur, arguendo non ſolùm ex verbis; ſed etiam ex ſituatione, ſeu ordine ipſarum Rubricarum, ſic v. g. quia materia conſervatorum: quos ſedes Apoſtolica concedere ſolet ad propulſandam injuriam, & violentiam, quæ privilegiatis inferri poſſet) ponitur ſub titulo, ſive Rubrica *De officio Delegati* nempe *cap. 1. & 2. & cap. fin. eod. in 6.* hinc bene infertur conſervatores habere jurisdictionem delegatam.

11. Dicta de Rubricis non procedunt de ſummarijs Capitulorum, utpote operâ privatorum Doctorum additis, eſto inſtar gloſſæ magnam fundent probabilitatem.

12. ROGABIS: Cujus ponderis ſint Cardinalium Declarationes? Nota Pium IV. in Bulla confirmationis Concilij Tridentini, Prælatis ſub interdicti ingreſsûs Eccleſiæ, alijs verò ſub excommunicationis latæ ſententiæ, pœnis, inhibuiſſe; nè quis ſinè authoritate ſummi Pontificis audeat ullos Commentarios, Gloſſas, annotationes, ſcholia, ullúmve omninò interpretationis genus ſuper ipſius *Concilij* Decretis, quocunque modô edere; Poſteà verò *Annô 1564. 5. Auguſti* inſtituiſſe Congregationem S. R. E. Cardinalium ſuper executione & obſervantia Sacri Concilij Tridentini, quam Deîn Sixtus

Sixtus V. ſua conſtitutione, quæ incipit: *immenſa. Annô 1587. 11. Calend. Februarij*, confirmavit, eidémque inſuper conceſſit facultatem interpretandi Decreta præfati Concilj, quæ de morum reformatione, diſciplina, ac moderatione; Eccleſiaſticis judicijs, aliíſque hujusmodi ſtatuta ſunt, ſi quando circa iſta dubium, aut difficultas emerſerit,ità tameu, ut hoc fiat conſulto priùs Rom. Pontifice, ſimúlque eorum Decretorum, quæ ad Fidei dogmata pertinent, interpretatio, Papæ reſervata maneat. Jam

13. ℞. Declarationes Cardinalium Sacri Concilij Tridentini interpretum, conſulto Pontifice emanatæ, ac in forma authentica, id eſt: cum conſveto dictæ Congregationis ſigillo, ſubſcriptione Cardinalis Præfecti, ac Secretarij ejuſdem Congregationis exhibitæ; nedum ùt probabiles, & doctrinales, ſed etiam ùt authoritativæ, & neceſſariæ, ſuſcipiendæ ſunt, ità, ut habeant vim obligandi in utroque foro. Fagnanus *in cap. quoniam. n. 6. & ſeqq. de Conſtit.* vide Cardinal. De Luca *in Annot. ad Concil. Trident, Diſcurs. 1. n. 17.* Engel *in Proëm. Collegij Jur. Can. n. 15. & ſeqq.* Schmalzgrueber *ibid. n. 370.* Non eſt tamen prætereundum, quòd dictæ Declarationes, interdum particulares caſus concernentes, alteri caſui, diverſis circumſtantijs veſtito, non ſint nudè crudè applicabiles, teſte Cardinali De Luca. *loc. cit.*

14. Quid porrò de deciſionibus Rotæ Romanæ ſentiendum? Obſerva Rotam Romanam eſſe ſummi Pontificis, in cauſis litigioſis Tribunal, Auditorium, & Judicium; conſtans poſt conſtitutionem Sixti IV. quæ incipit: *Romanus Pontifex.* duodecim famoſis Juris Doctoribus, è varijs nationibus aſſumptis; qui quidem Auditores, menſæ circulari ad formam Rotæ, accumbunt. Unde vero ſimiliter nomen Rotæ derivatum. Card. De Luca. *in Relatione Romanæ Curiæ Forens. Diſc. 32. n. 16. & 34.* hoc præmiſſo.

15. ℞. Quidam quidem hiſce Diciſionibus vim legis tribuunt, Rectiùs tamen ſentiunt, qui docent, eas ſolùm jus facere inter partes litigantes, ad inſtar ſententiarum judicialium; nec facere jus univerſale; licèt cæteroquin tanquam Magiſtrales, & probabiles magnum habeant pondus authoritatis. Card. De Luca. *loc. cit. n. 66.* Fagnanus *in cap. cùm veniſſent. n. 31. De Judicijs.* *Ratio*: quia nullibi reperitur Auditoribus Rotæ conceſſa poteſtas, jus novum condendi, ſed tantùm ſecundùm Jura jam poſita in cauſis particularium judicandi; planè ſicut in Aſſeſſoribus Cameræ Imperialis Wetzlarienſis res ſe habet,

§. III.

An, & qualis Poteſtas Legislativa Romano competat Pontifici?

16. A Capite exordiendo DICO *1mò.* Romanus Pontifex poteſt ferre leges ſive conſtitutiones Eccleſiaſticas, poteſtate ſibi immediatè à DEO conceſsâ, in materia ſpirituali, & concernente animarum ſalutem, rectámque Eccleſiæ gubernationem, pro toto orbe Chriſtiano, etiam abſque Cardinalium conſilio, aut conſenſu, quin imò ante ſuî coronationem, & conſecrationem. ità Catholici & Orthodoxi omnes.

17. *Dictum* eſt *1mò: poteſtate ſibi immediatè à DEO conceſſa:* ſiquidem ſummo Pontifici, tanquam ſuo in terris Vicario, comiſit Chriſtus in Beato Petro Apoſtolorum Principe, omnium ovium ſuarum curam, & regendi poteſtatem, dicens: *Paſce oves meas.* Joan. 21. non diſtingvens inter has, & illas. & Matth. 16. indefinitè dixit: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis.* Quocirca *hac authoritas* (*etſi data ſit homini, & exerceatur per hominem*) *non humana, ſed potiùs Divina, ore Divino Petro, ejúsque ſucceſſoribus in ipſo, data credenda eſt.* Extrav. *unam ſanctam. in fin. De Majorit. & obed. inter communes.* Conſonat can. *in novo Teſtamento* & *Can. quamvis 3. diſt. 21.* item *Can. ſi Romanorum 1. can. ſic omnes 2. diſt. 19.* Quin & Imperator in Romano Pontifice agnoſcit cœleſte arbitrium. *l. 1 C. de ſumma Trinit.* atque hinc.

18. Fluit, judiciariam poteſtatem, Eccleſiæ ſeu Pontifici non eſſe conceſſam, per Imperatores, ut non obſcurè colligitur ex illo 1. Corinth. 6. *Audet aliquis veſtrum, habens negotium adverſus alium, apud iniquos judicari, & non apud ſanctos?* & paulò inferiùs; *neſcitis* (inquit Apoſtolus) *quia Angelos judicabimus? quanto magìs ſæcularia?* Unde D. Ambroſius contra Auxentium; *Imperator* inquit: *bonus intrà Eccleſiam eſt, non ſuprà eam.* Nec

19. OBEST 1. Quòd leges quædam poſitæ inveniantur à Juſtiniano, ſuper perſonis & rebus ſacris, cùm hoc non poſſit videri alio fine ab eo attentatum, quàm ut major reverentia ſacris exhiberetur Canonibus, prohiberetur inſana Hæreticorum petulantia, atque eorum Antiſtitum refrænaretur temeritas, qui in contemptum Sedis Apoſtolicæ, ab Hæreticis ſinebant impunè vilipendi ſacrorum

Cano-

Canonum ſtatuta. Viridi igitur, ut in obſervantia ſtarent ſacræ leges, lege imperatoriâ effectum, dum Provinciarum Præſides vigilare jubebantur, & in transgreſſores animadvertere. ut Ipſe fatetur Juſtinianus *Novell. de ordin Epiſc. 137.* Nec

20. FACIT, quòd Concilij generalis confirmatio legatur petita à Theodoſio Imperatore. Hæc enim ex eadem jam data ratione petita, aut potiùs ad oppignorandam ejus fidem. Cui argumento eſt quòd idem non obſervetur factum in alijs Imperatoribus. Neque

21 Contra URGET, quòd ſinè Tribunali aliquando fuerit Eccleſia, & ab Honorio reſtituta legatur Epiſcopis judicandi poteſtas. Nam ideò reſtituta fuit, quia malè erat ab alijs uſurpata, jam autem vis, quæ facta fuit Eccleſiæ, non aufert ea, quæ Juris ſunt.

22. *Dictum* 2dò: *in materia ſpirituali*, &c. ſubaudi *directè*. Siquidem in Romano Pontifice tanquam Eccleſiæ capite, una eſt poteſtas quæ *directè* reſpicit ſpiritualia, *indirectè* verò & conſequenter ad temporalia extenditur. Nam licèt Princeps, ejúsque Poteſtas, in ſuis actibus ad finem politicum ordinatis, *directè* non pendeat ab aliqua poteſtate ejusdem ordinis, quæ eundem reſpiciat finem; fieri nihilominùs poteſt, ut neceſsè ſit ipſum dirigi, adjuvari, & corrigi in ſua materia, à ſuperiore poteſtate, gubernante hominis, in ordine ad finem excellentiorem, & æternum, quæ ſubjectio & dependentia vocatur *indirecta*, quòd non per ſe, ſed *obliquè*. & propter aliud verſetur circa temporalia, ad obtinendum faciliorem, & utiliorem uſum poteſtatis ſpiritualis, & obviandum detrimento animarum, quæ poſſent periclitari, facto Regum, aut Principum, in temporalibus vetita permittentium, aut negligentium præcepta. Hæc porrò indirecta poteſtas uſu Eccleſiæ, Hiſtorijs noto, comprobatur. Varijs enim exemplis conſtat à Pontificibus Imperatores & Reges excommunicatos, ſolióque ejectos fuiſſe. In hanc rem videatur. *Can duo ſunt. Can. nos ſanctorum. & Can. fin. XV. q. 6.* & Bellarminus *lib. 2. cap. 6.* Sic à Martino IV. Regno exutus fuit Petrus Aragoniæ Rex, ob lanienam, cui à veſperis Sicilianis nomen. Sic anathemate percuſſus Henricus VIII. Angliæ Rex. Confer Schambogen *ad tit. De Conſtitut. n. 22* Quòd ſi legeris etiam Pontificem ab Imperatore depoſitum, id facto non Jure contigiſſe facilè intelliges. hac de re infrà §. 6, redibit ſermo-

23. Hìc

23. Hic in quæſtionem vocari poteſt, num poteſtas ſpiritualis, & temporalis in eadem perſona combinari poſſit? Sectarij, & Pſevdo-politici hujus tempeſtatis, docent: quemlibet Principem in ſuo Regno utraque pollere poteſtate. Orthodoxorum tamen vera ſententia eſt, has poteſtates neque neceſſariò eſſe conjunctas, quia altera ſinè altera, conſiſtere poteſt, neque neceſſariò ſeparatas, ùt patet ex uſu in Rom. Pontifice & multis Epiſcopis, aliíſque Prælatis, qui ſimul cum poteſtate Eccleſiaſtica habent conjunctam civilem, acquiſitam ſibi ex Principum donationibus, *cap. Fundamenta 17. De Elect. in 6.* quæ res nulli virtuti contraria, nec per ſe quidquam mali involvit, quin & iſta conjunctio ſæpe deſervit ad majorem pacem & harmoniam utriusque iſtius poteſtatis, facítque Prælatis majorem conciliari reverentiam.

24. DICES *1mò. Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic* inquit Salvator *Lucæ 22.* & Apoſtolus *2. ad Timoth. 2. ℣. 2. Nemo militans DEO, ſe implicat negotijs ſæcularibus.* ergo. ℞. ex primo textu quidem evinci, quòd Chriſtus Apoſtolis poteſtatem temporalem directò non contulerit, quia Regnum ejus non erat de hoc mundo, non autem; quòd illam habere prohibuerit, aliàs in veteri lege DEUS non permiſiſſet Sacerdotes eſſe Reges. Secundus verò locus accipiendus, de negotiatione & nimia ſollicitudine circa temporalia lucra, quæ non decet militantes DEO, & paſſim Jure Canonico reprehenditur, non etiam de temporali poteſtate, cujus cum ſpirituali conjunctio, multùm deſervit utilitati Eccleſiæ, & commodis fidelium.

25. REPLICABIS. Rex non poteſt ſimul gubernare Eccleſiaſtica, ergo neque Pontifex regere politica. ℞. *N. conſeq.* diſparitas eſt, quòd ſacra ſacrè, & ſancta ſanctè gerenda ſint, nec poſſint ſacrificia fieri à viro non ordinato, & conſecrato, quapropter & Ozias leprâ percuſſus fuit, eò quòd ſacerdotium uſurpare voluerit, offerendo incenſum coram Domino. *2. Paralip. 26.* ℣. *19.* eadémque de cauſa, punitus legitur Saul. 1. *Reg.* 13. ℣. 13. Jam verò ùt quis politica tractet, conſecratione non indiget. Confer. Zoës. *ad tit. De conſtit. n.* 16. & ibidem Schambogen. *n. 25.*

26. *Dictum 3tiò* in *concl. etiam abſque Cardinalium Conſilio, aut conſenſu:* ità Abbas *in cap. ex geſtis 2. De Clericis non reſid. n. 4.* Felinus in *Rubric. De Conſtit. n. 2.* Card. De Luca in *Relatione Curiæ Diſcurs. 3. n. 31. & ſeqq.* Zoës, *loc. cit. n. 20.* ità inquam tenent omnes demptis

paucis

paucis Gallorum perſtrictè negantium, Pontificem eſſe ſupra Concilium. *Ratio* noſtra eſt, quia Pontifex, ùt dictum; ſuam immediatè à DEO nactus eſt poteſtatem, adeóque in illius exercitio pendere nequit à Concilio, quod ab ipſomet Pontifice congregari, & approbari debet. Et ſanè ſi in Regimine Monarchico ſæculari, poteſtas legislativa penes unum Principem reſideat, cur ſummus Pontifex, & Monarcha, in Hierarchia ſpirituali, dependeret ab inferioribus? contraria Gallorum, jam proſcripta opinio, principaliter ſe fundat in Concilio Baſileenſi, & Conſtantienſi, in quibus Pontifex ſubjiciebatur Concilio generali. Verùm quæ hac in parte decreta fuerunt, in Concilio generali ſub Leone X. *Seſſ. 21.* caſtigata ſunt. & huc facit Textus *in Can. nunc autem. diſt. 21. & Can. aliorum IX. q. 3.* ubi prima Sedes à nemine judicatur, ſed reſervatur DEI judicio, ut nequeat dici ſubeſſe Concilio, licèt Generali. vide D. Thomam 2. *2. q. 105. art. 1.* Felin. *ad cap. 1. De conſtit. n. 24.* & quò ad hiſtoriam Conciliorum Baſileenſis, & Conſtantienſis Bellarm. dicto *lib. 2. cap. 13. & ſeq.* nec

27. Obeſt quòd Chriſtus *Matth. 18. ℣. 18.* Apoſtolis dixerit: quæcúnque ligaveritis ſuper terram, &c. *Joan. 20. ℣. 21. ſicut miſit me vivens Pater, itâ & ego mitto vos.* Nam exindè perperam colligitur, communem Apoſtolis cum Divo Petro, jurisdictionem collatam, & poteſtatem legislativam Petri, conſilio aut conſenſui Apoſtolorum fuiſſe alligatam. Poteſtas quippe ligandi atque ſolvendi, Apoſtolorum, eorúmque ſucceſſorum muneri, limitatè pro ſuis reſpectivè Eccleſijs impertita fuit, claves verò totius Regni ſpiritualis nulli, quàm Petro concreditæ fuêre, & Apoſtoli ſolùm in adjutorium Petri, & partem miniſterij, non in plenitudinem aut conſortium ſummæ poteſtatis aſſumpti fuerunt. *Can. ipſi ſunt 16. & ſeqq. cauſ. IX. q. 3.*

Quòd ſi Pontifex in rebus præſertim magni momenti, conſuluerit Cardinales, aut in conſtitutionibus ſuis adhibeat verba: *de fratrum noſtrorum conſilio.* Nolim indè *neceſſitatem*, ſed *decentiam*, majorémque deliberationem & rei conſtitutæ ponderationem ſubinferas.

28. *Dictum* denique: *ante coronationem, & conſecrationem, &c.* Nam in *Can. 1. Diſt. 23.* Nicolaus II. in Concilio Lateranenſi ità decernit: *Electus tamen, ſicut verus Papa, obtineat authoritatem regendi Romanam Eccleſiam, & diſponendi omnes facultates illius, quod Beatum Gregorium, ante ſuam conſecrationem, feciſſe cognovimus.* Idem ſtatuitur in *Extravag. ultima. De ſent. Excom. inter communes.* *Ratio* hujus ſæpe

Q data

data eſt. Nam Romanus Pontifex, cùm ſuperiorem in terris non revereatur, confirmatione opus non habet, ſed quàm primùm legitimè & Canonicè electus eſt, Divina authoritate tanquam verus Chriſti Vicarius, & D. Petri ſucceſſor poteſtatem in univerſum Eccleſiæ corpus nanciſcitur. Cardinales ſiquidem, non, ùt Canonici Epiſcopo, jus aliquod ſummo Pontifici per electionem tribuunt, ſed nudam perſonam deſignant, in quam immediatè DEUS ſupremam Eccleſiæ poteſtatem transfert. *cap. licèt de Elect.* Schambog. *loc. cit. n. 10.* Neque conſecratio quidquam de jurisdictione confert, ſed ordinis duntaxat poteſtatem ampliat. Minùs coronatio jurisdictionem præſtat, cùm magìs cæremoniæ, quàm neceſſitatis causâ adhibeatur. Aliud ex oppoſita ratione eſt in inferioribus Prælatis, qui ſuperiorem agnoſcentes, ante ſuam confirmationẽ, non habent jus adminiſtrandi. *cap. noſti 9. & cap. qualiter 17. De Elect. cap. avaritia. eodem in 6.*

29. D. Petri ſucceſſorem ſæpe vocavimus Pontificem Romanum; obtinétne ergo Primatum Eccleſia Romana? ità dicendum, quid quid oblanniant moderni novatores, eò, quòd D. Petrus voce Evangelicâ Princeps Apoſtolorum judicatus, translatâ eò ſede ſua, quam primitùs Antiochiæ fixerat, eidem uſque ad mortem præfuerit. *Can. mutationes 34. cauſ. VII. q. 1. Can. Beati Petrus & Paulus 37. cauſ. II. q. 7. Ratio:* ùt ubi caput ſuperſtitionis fuerat, ibi fieret caput ſanctitatis & Religionis, & ubi gentilium Princeps habitaverat, ibi reſideret Chriſtianæ Eccleſiæ ſummus Moderator; Primatus hic Romanæ Eccleſiæ non tantùm varijs ſynodaticis conſtitutionibus, & Sanctorum Patrum atteſtationibus, ac ſum. Pontificum oraculis eſt aſſertus & defenſus, ùt latè demonſtrat Bellarum. *Tom. 1. controverſ. 3. lib. 1. & 2. De Rom. Pontifice.* Verùm etiam Imperatorem Reſcriptis & profeſſionibus, ſacræ Scripturæ correſpondentibus, firmatus eſt. In hanc rem celebre extat Juſtiniani Teſtimonium *in L. inter claras 8. C. De ſumma Trinit.* ubi & refertur Epiſtola Joannis XI. Pontificis ad hunc Imperatorem data. Non audiendus igitur Franciſc. Hotomannus *lib. 1. c. 1. Amic. Reſponſ.* qui cum alijs novatoribus, odiô quòdam, quô in Rom. ſedem exæſtuabat; non verò ſtudiô veritatis, mutuas iſtas Juſtiniani & Joannis Pontificis Epiſtolas, non genuinum, ſed ſuppoſititium partum eſſe contendit; Unde Teſtibus Andrea Alciato. *4 Parerg. cap. 23.* Cujacio 12. *obſerv. cap. 26.* & Fachinæo. *8. Controv. Juris. cap. 1.* Legulejus iſte prodit ſimul cum impietate, inſcitiam ſuam. Præſertim cum idem Imperator *in Novell. De Eccleſiaſt. tit. &*

priv.

priv 131. *cap.* 1. diſertè dicat; quòd, utì Roma ſortita eſt legum originem, & ità & Pontificatûs apicem ibi eſſe non ſit dubitandum, atque Romanam Eccleſiam eſſe omnium primam, Romanúmque Pontificem fore omnium primum. Confer latiùs Covarruviam. *lib.* 4. *variar. Reſolut. cap.* 14. *n.* 11.

§. IV.

An, & qualiter Concilia, Epiſcopi, aliique Prælati poſſint ferre Leges?

30. IMpræſentiarùm Concilium ſumitur pro cœtu, ſeu conventu Sacerdotum, maximè Epiſcoporum, pro reſolvendis rebus fidei ſeu alijs gravioribus Eccleſiæ negotijs, à legitimo ſuperiore in unum congregatorum. Aliud eſt *generale*, ſeu *Æcomenicum*, quod abſque authoritate ſummi Pontificis celebrari non poteſt. *Can. Regula.* & *Can. multis. Diſt.* 17 aliàs non tam Concilium, quàm conciliabulum, & conventiculum appellatur, omni carens robore. *d. cano. multis.* aliud *Provinciale*, ſingulis ſaltèm triennijs ex præſcripto Tridentini *Seſſ.* 24. *De Reformat. cap.* 2. convocatis Epiſcopis & Clericis ejus Provinciæ, qui de Jure aut conſvetudine intereſſe poſſunt celebrandum. Cui confine eſt *nationale*, in quo videl. omnes Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi, certæ nationis ſub uno Primate, vel Patriarcha conveniunt. Aliud denique *Epiſcopale* (quod & ſynodus Diæceſana vocitatur) & hoc ſingulis annis indicendum Clericis ejus Diœceſis. Nunc

31. DICO 1. Concilium Generale legitimè congregatum, poteſt facere conſtitutiones, totam Eccleſiam obligantes, dummodò acceſſerit confirmatio ſummi Pontificis, hujúsque illæſa maneat authoritas. Eſt concluſio certa, & communis Catholicorum, patétque ex dictis; fuſiùs tamen videre poteris Bellarminum *lib.* 1. *De Concilijs cap.* 6. & 7. Navarrum *Conſilio* 1. *De conſtit. n.* 4. Zoës *ad eund. tit. n.* 30. Reiffenſt. *ibid.* §. 3. *n.* 62. & *ſeq.*

32. Ad quid (AIS) magnis impenſis, & difficultatibus convocatur Concilium generale, ſi ſolus, abſque Concilio, Pontifex poteſt leges condere, & Decreta Conciliorum nullius ſint firmitatis, niſi approbata à Pontifice? ℞. nullâ quidem neceſſitate abſolutâ convocari Concilia, ut materia fidei diſcernatur, expedire tamen, ut òb graviſſimas cauſas, mores, aut fidem concernentes, congregentur,

 tum

tum ut ea, quæ facti ſunt, & ſpeciales populi aut nationis alicujus ritus attinent, maturiùs diſcutiantur. Tum quia ſuavîùs res agitur, dum concordante Concilio generali, ejusmodi leges pro univerſali Eccleſia præſcribuntur. Quia naturaliter cuilibet ſuum videri placet, faciliúsque acceptantur, & promptiùs opere complentur communi ſuffragio atque conſenſu, ſtatutæ leges.

33. ROGABIS. Nunc Concilium generale in caſu ſchiſmatis, vel ſedis diu vacantis poſſit condere leges univerſum orbem obligantes? ℞. poſſe quidem, in quantùm exigit temporum neceſſitas, ídque ex Jure naturæ, in quantùm cuilibet corpori myſtico conceditur, ut in defectu capitis ſeipſum congregare, ſuóque bono proſpicere poſſit, verùm, etſi tantiſper fideles ſe ſe hiſce legibus conformare teneantur, plenam tamen vim non habebunt, nec diutiùs durabunt, quàm ſi à ſucceſſore Pontifice confirmentur.

34. DICO *2dò.* Concilia particularia ſive Provincialia, aut Nationalia, ſive Diæceſana poſſunt facere novas conſtitutiones, legis vigorem habentes, obligantes tamen non niſì proprios ſubditos intrà limites ſui territorij exiſtentes. ità communiter omnes. Dixi: *intrà limites.* Nam cum jurisdictio. utpote territorium reſpiciens, intrà illud coarctetur; lex, quæ territorio fertur, non poteſt extra illud vim ſuam exercere; Nam ut *l. fin. ff. de jurisdict.* dicitur: extra territorium jus dicendi impunè non paretur. Aliud obtinet in præcepto, vel ſententia Prælati. Nam ejus vis etiam ſe extendit ad ſubditum, extra territorium. Gloſſ. *in cap. Romana. §. caveant V. futuris. de ſent. excom. in 6.* Diſparitatis *ratio* eſt: quòd præceptum aut ſententia directò feratur in perſonam, ad contumaciam ejus retundendam ubicunque extiterit: Lex verò, vel ſtatutum, ipſi feratur territorio, proinde obligat perſonas inibi exiſtentes, quaſi mediante loco, licèt aliàs non ſubjectas.

35. Quòd verò quædam periodi ex Concilijs particularibus depromptæ, relatæ ſint in Decreto gratiani, aut Decretalibus, non arguit leges aut Decreta Conciliorum ſimilium, univerſum orbem ex ſua primæva conditione obligare; Nam relata in Decreto gratiani plus authoritatis non habent, quàm ipſi fontes, ùt ſuprà dictum. Relata verò in Decretalibus vim & robur hauriunt ex Pontificis authoritate. Planè ùt dixit Imperator: omnia noſtra facimus, quibus authoritatem noſtram impertimur.

36. DI-

36. DICO *3tiò*, Particulares conſtitutiones, pro ſuis reſpectivè Eccleſijs, condere poſſunt Prælati Romano Pontifice inferiores, cujus claſſis ſunt Epiſcopi, & his ſuperiores, veluti Archi-Epiſcopi, Primates, Patriarchæ; *Ratio*. quia hi à Pontifice aſſumpti ſunt in partem ſollicitudinis, tanquam Præſides Provinciarum aut Judices ſingulis civitatibus præpoſiti; adeóque his neceſsè eſt competant ea, quæ ad regimen ſunt neceſſaria, *arg. l. 2. ff. de jurisdict.* & præcipuè poteſtas legislativa, ſinè qua ſubditi dirigi non poſſent; Itáque ſtatuto Epiſcopali ligantur omnes Diœceſani etiam Laici, quacúnque dignitate licet Regali fulgentes, in ijs nempe, quæ concernunt bonum ſpirituale, aut res Eccleſiaſticas, *cap. ſi quis De Majorit. & obed. & cap. novit. 13. de judicijs.*

37. PETES *1mò*. An poſſint Epiſcopi ſtatuta facere ſine Pontificis aſſenſu? ℟. poſſe quò ad ſubditos ſuos, ordinario Jure ſibi competente, ut nulla ſpeciali opus ſit Pontificis authoritate & approbatione, *cap. 2. de conſtit. in 6.* modò tamen nihil ſtatuant, contra jus commune, quod inferior non immutat; nec ſuper ijs, quæ ſibi reſervavit Pontifex *cap. 1. de Translat. Epiſc.* Sed nec in cauſis gravioribus citra Pontificis authoritatem quid ſtatuere valent, cùm ſub generali conceſſione non veniant ea, quæ in ſpecie viriſimiliter non eſſent concedenda. *cap. fin. de officio Vicarij in 6.* cujus claſſis ſunt: Eccleſiam unam alteri ſubjicere, Epiſcopatus unire aut dividere, aliáque ſimilia ſtatum Eccleſiaſticum concernentia. *cap. Translationes de officio Legati.*

38. PETES *2dò*. An liceat Epiſcopo ſtatuta facere ſine conſenſu aut conſilio Capituli? ℟. Regulariter Epiſcopum hac in re non pendere à Capitulo, cùm non ab eo, ſed à Romano Pontifice, per confirmationem, poteſtatem ſuam ſit conſecutus, nec inveniatur ullo Jure prodita hæc dependentia, ut non ſit generaliter conſtituenda extra caſus Jure expreſſos; aut illos ſaltem, qui ſpecialem rationem vel neceſſitatem præſeferunt; qua de re in *tit. De his quæ ſunt à Præl. ſine conſ. Capituli.* Quocirca Epiſcopus ſi conſilium Capituli petierit, & Capitulares irrationabiliter obſiſtant, valebit nihilominus ſtatutum; quo facit *cap. novit 4. & cap. quanto 5. De his, quæ ſunt à Prælat. &c.*

39. *Dixi Regulariter, &c.* Nam fallit hoc *1mò* quando Epiſcopus vult aliquid ſtatuere de rebus, quæ ſpectant ſimul ad Epiſcopum & Capitulum, quia tunc requiritur non tantùm Conſilium ſed & conſenſus

ſenſus Capituli; tum quia, quod omnes tangit debet ab omnibus approbari, Juxta Regulam 29. Juris in 6. Tum, quia in re communi potior eſt conditio prohibentis. *Regula 65. eod.* Fallit quoque *2dò* in ijs, quæ poſſunt cedere in præjudicium Capituli & Cleri. Ut ſi fieret nova conſtitutio derogans Privilegio Capituli, à ſuperiore conceſſo, aut conſvetudine legitimè præſcripta aquiſito; tunc enim pariter opus eſſet Capitularium, tanquam Collegarum conſtituentium unà cum Epiſcopo, corpus unum, conſenſu. Confer Pirhing *ad tit. de Conſt. n. 4.*

40. PETES *3tiò.* An ſtatuta Epiſcoporum ſint perpetua adeò ut morte Conditoris non exſpirent? Certum quidem eſt, ſtatuta in ſynodo Diœceſana condita perpetuò durare niſi revocentur, ſed ſi facta fuerint extra ſynodum non pauci volunt morte Epiſcopi exſpirare; & inter hos eſt Barboſa *part. 3. de officio & poteſtate Epiſcop. Alleg. 93. n. 23.* citans alios. Verùm ℞. Epiſcopi ſtatutum perpetuò durare, niſi ab ipſo vel ſucceſſore revocetur. *Ratio:* quia de natura ſtatuti eſt, & ea intentione conditur, ut ſit perpetuum, & futura reſpiciat. *arg. cap. cognoſcentes 7. & cap. ult. de conſtit.* Confirmatur ex *cap. ult. de officio Legati.* ubi ſtatuta Legati dicuntur durare in perpetuum; *junctâ Gloſſa ibid. ℣. ſtatuta.* id ipſum intelligente, de ſtatutis Epiſcoporum pro ſua Diœceſi. In hanc ſententiam concedunt Federicus de Senis. *Conſil. 19. ſub init.* Baldus Peruſinus. *Tom. 2. Tractatuum. Tract. de ſtatutis §. Epiſcopus. n. 2.* Jaſon. *in l. ſtipulationum 5. ff. de V. O. n. 3. & 4.*

41. Hactenus Epiſcopis aſſerta poteſtas condendi leges, aut ſtatuta, ijſdem competit, dummodo electi & confirmati, licet necdum ſint conſecrati. *Ratio:* quia poteſtas condendi ſtatuta eſt *jurisdictionis*, non Ordinis, proinde ab electionis confirmatione, non verò perſonæ conſecratione dependet. *per cap. ſi quis venerit 2. de Majorit. & obed.* & *cap. ut animarum de conſtitut. in 6.*

42. PETES denique; An poteſtas Epiſcopalis, perinde ac Papalis ſit immediatè à DEO? ℞. Poteſtas ordinis Epiſcopalis tam bene, quàm Papalis immediatè eſt à DEO, & irrevocabiliter conceditur in collatione ordinis Epiſcopalis: at verò poteſtas Epiſcopalis jurisdictionis, non immediatè confertur à DEO huic v. g. perſonæ, ſingulari in Epiſcopum electæ aut nominatæ, ſed mediatè, interventu ſcil. Pontificis Chriſti in terris Vicarij authoritatem & confirmationem impertientis, per quem proinde Epiſcopi poteſtas jurisdictio-

nis

nis limitari, atque conſtringi poteſt. Generatim tamen & originativè rectè dixeris, utrámque in utróque poteſtatem eſſe à DEO, quatenus Chriſtus utrámque înſtituit in genere, & neutra provenit à poteſtate merè humana & Politica.

43. DICES. Epiſcopi ſucceſſerunt in locum Apoſtolorum *can. in novo ; Diſt.* 21. & *Can. quorum vices diſt.* 68. quod & teſtatur Tridentinum *Seſſ.* 23. *cap.* 4. atqui Apoſtoli immediatè à Chriſto ſuam acceperunt poteſtatem. ergò. ℞. Argumentum eſſe ſimile huic: primus homo immediatè à DEO creatus eſt. ergo & reliqui ſic creati ſunt. *Diſt.* igitur *Ant.* ſucceſſerunt Apoſtolis ut Epiſcopi, & quò ad conſecrationem, per quam Jure Divino imprimitur character C. quò ad poteſtatem jurisdictionis, & quò ad modum N. Confer Zoës. *ad tit. de conſtit. n.* 23.

44. Dicta de poteſtate legislativa Epiſcoporum procedunt quoque in Cardinalibus, quò ad Eccleſias ſuorum titulorum. *cap. his quæ* 11. *de Majorit. & obed.* uti & in Legatis Pontificijs in Provincijs ſibi commiſſis. vide Zoës. *per tot tit. de officio Legati.* Sua quóque poteſtas competit Abbatibus, aliíſque Prælatis jurisdictionem ſpiritualem habentibus; qua de re vide Barbos. *lib.* 1. *Juris Eccl. univ. cap.* 17. *n* 72. Card. De Luca. *De Regularib. Diſcurſu* 42. *n.* 13. Engel *De Privileg. Monaſt. Privileg.* 48. & noviſſimè P. Schmier. *lib.* 1. *Jurisprud. Can Civilis tract.* 1. *c.* 1. *Sect.* 2. § 5. bene diſtinguens inter ſuperiores Ordinum, qui ex primæva ſui inſtitutione unionem & ſubordinationem Monaſteriorum non habent, prout contingit in Ordine D. Benedicti, Norberti, &c. & illorum Ordinum, qui hujusmodi confœderationem & ſubalternationem habent, prout accidit in Ordinibus Mendicantium; bene inquam ſic diſtinguendo, docet, Abbates & Prælatos primi generis in exercitio hujus jurisdictionis à toto Ordine (minùs à Viſitatore aut Præſide) non dependere. *Ratio*: quia hujusmodi Prælati Regulares locales, ordinaria pollent jurisdictione in ſubditos Regulares, adeóque independenter ab aſſenſu alterius pro bono Monaſterij regimine ſtatuta (juxta, aut ſaltem non contra Regulam) condere valent. In hanc rem facit *Can. nullam* 9. *Cauſ. XVIII. q.* 2.

45. Quæri hìc incidenter poteſt: An Prælati Regulares locales condere queant ſtatuta, quæ rationabiles & laudabiles conſvetudines, contra primævum Regulæ rigorem hactenus toleratas abrogent? Negant. P. Engel. *ad tit. de Conſtit. n.* 24. P. Guetrahter *Inſtit. Juris Can. Lib.* 1. *Tit.* 3. *n.* 34. P. Wenzl *De LL. quæſt.* 4. §.

3. *in*

3. in Corollar. & cum illis P. Schmier, *jurisprud. Can-Civil. lib. 1. tract. 1. cap. 4. §. 3. n. 114. & ſeqq.* ex ratione: quòd qui Religionem in certo loco profitetur, non profiteatur obedientiam præcisè ſecundùm apices Regulæ, ſed juxta temperatam loci conſvetudinem; proinde Prælati, licet habeant jus imperandi ſecundùm Regulam, non tamen habent jus imperandi contra conſvetudinem, quâ Regulæ ſeveriores articuli mitigati ſunt, maximè, cùm contra Regularia ſtatuta prævalere poſſit conſvetudo, perinde ac contra alias leges humanas, non attentó, quòd obligatio votorum, ex Jure Divino pullulet. Nam votum non obligat, niſi ſecundùm intentionem & mentem voventium, qui in dubio, tam Juri communi, quàm conſvetudini à Jure probatæ ſeſe conformâſſe cenſentur.

46. In contrariam cum Felino & alijs conceſſimus ſententiam *in Elementis Juris Pontificij* ad *Regul. XXIX. Juris in 6. n. 7.* cui & nunc adhæremus, ſi agatur de reformatione Monaſterij ad nimiam & periculoſam laxitatem prolapſi, aut de reformatione mediocri & in rebus non adeò magni momenti; v. g. ſi Prælatus ſtatueret, ut ſemel in Hebdomada, feriâ videlicet 4tâ, à carnibus abſtineatur; ut Fratres unâ horâ citius ad mututinas preces ſurgant; aut quid ſimile. Priori verò ſententiæ ſubſcribimus, ſi quæſtio ſit de reformatione in re admodùm gravi, notabiliter, & quaſi moraliter alterante ſubſtantiam obſervantiæ Regularis; ùt puta ſi Prælatus Ordinis Ciſtercienſium juberet, ut Religioſi qui hactenus ex conſvetudine legitimè præſcripta, aut diſpenſatione carnes comederant, ab ijs perpetuò abſtineant; aut ſi alius ſuperior Regularis præciperet, ut Religioſi juxta primævum Regulæ rigorem, conſvetudine longa attemperatum, nudis pedibus, aut abſque induſijs incedant, &c his enim caſibus conceſſerim, abſque conſenſu illorum, quorum intereſt, hujusmodi rigidam reformationem induci non poſſe, quàmobrem relinquere debet Prælatus ſub temperamento Regulæ Profeſſos in priſtina conſvetudine & obſervantia; deinceps verò ad Profeſſionem admittendos adigere poterit, ad profitendum juxta primævam auſteritatem Regulæ. Sicut non ita pridem facere compulſus eſt Abbas Heiſterbacenſis.

47. Supereſt, ut diſpiciamus, an & qualiter Capitulum poſſit ferre leges aut ſtatuta? Hac in re certum eſt, Capitulum Cathedrale vivente Epiſcopo, non poſſe facere leges, ſeu ſtatuta, quæ obligent extraneos, aut totam Diœceſin; quia non habent jurisdictionem in Diœce-

Diœceſanos vivente Epiſcopo. Nec minùs certum, quòd Capitulum ſine viventis Epiſcopi conſenſu, non poſſit condere ſtatutum, communem ſtatum Epiſcopatûs, ejúsque Jura, aut negotia ardua concernens; ùt patet ex *cap. cùm conſvetudinis 9. de conſvetud.* & Ratio: quia Epiſcopus tanquam caput conſtituit cum Capitulo unum corpus: non licet autem membra recedere à capite. *cap. cùm non liceat 12. de præſcript.* his præmiſſis.

48. ℞. *1mò.* Poteſt Capitulum etiam vivente Epiſcopo abſque Ejus conſenſu ex cauſis rationabilibus, condere quædam ſtatuta, de his, quæ tangunt particularia Capituli negotia; aut ipſos Capitulares concernunt, circa rectam ordinationem Eccleſiæ ſive Capituli; v. g. ut certô modò quotidianæ obventiones diſtribuantur, tali vel tali die Capitulariter congregentur, & ſimilia. ita Abbas in *cap cùm omnes. n. 4.* & Felin. *ibid. n.* 10. *de conſtit.* Barbos. *de Canonicis cap.* 42. *n.* 16. Reiffenſt. *ad tit. de Conſtit.* §. 4. *n.* 87. & *ſeqq.*

49. ℞. *2dò.* Sede vacante Capitulum condere poteſt conſtitutiones totam Diœceſin obligantes, etiam pro tempore futuri Epiſcopi, donec hic aut ejus ſucceſſor eas revocaverit. ita Federicus de Senis *conſil* 16. Fagnanus *in cap. cùm olim n.* 17. *de Majorit. & obed.* Ratio: quia Capitulum ſede vacante ſuccedit Epiſcopo in his, quæ ſunt jurisdictionis. *cit. cap. cùm olim* 14. & *cap. unico eod. in 6.* jam verò poteſtas condendi leges pertinet ad poteſtatem jurisdictionis. Confer latiùs P. Anaclet. Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 89. & 90. nec.

50. OBEST. Quòd Collegium Cardinalium Sede Papali vacante nullam habeat poteſtatem condendi leges, per *cap ubi periculum.* §. *idem quoque. de Elect. in 6.* & *Clement. Ne Romani.* §. 1. *eodem.* Ubi expreſsè cautum, ne Sede vacante Cardinalium cœtus jurisdictionem Papalem exerceat, nec aliud ſtatuere valeat, niſi, quod pro electione Romani Pontificis, aut pro defenſione Eccleſiæ (ſi aliquod grande & evidens periculum huic immineret) neceſſe fuerit. Nam peculiaritatis hujus Ratio eſt; ne Cardinales, jurisdictionis ambitu, longioríque ejus exercitio, procraſtinent cum diſpendio Eccleſiæ, Pontificis electionem, quæ ad alium devolvi non poteſt; ſecus res ſe habet circa Epiſcopi electionem quæ intrà trimeſtre facienda; præterquam quòd & intra ſpatium hoc à Jure definitum facta egeat confirmatione Pontificis, qui ipſe à nullo confirmatur.

51. Dicta de Capitulo Cathedrali, cum proportione applicanda ſunt alijs Collegijs inferioribus, univerſitatibus, ac ſoceitatibus, ita, ut

& his competat poteſtas condendi ſtatuta, concernentia eos, qui ſub tali gremio, & communitate ſunt, quæ ut talia obligabunt, ſi tali corpori ſit Jurisdictio conceſſa à Pontifice, vel quæſita conſvetudine; alias tantùm obligabunt ex vi Juramenti aut pacti. Confer. Zoës *ad tit. de Conſtit. n. 28.* & Reiffenſt. *ibid. n. 96.* ex hactenus dictis.

52. COLLIGES. Populare iſtud axioma, quòd Epiſcopus in ſua Diœceſi poſſit, quod poteſt Pontifex in tota Eccleſia, cum grano ſalis capiendum, intelligendúmque cum dependentia & ſubordinatione ad Papam, velut caput viſibile univerſalis Eccleſiæ: Salvis quoque conſtitutionibus Apoſtolicis aliíque cauſis majoribus, quæ ſummo Pontifici ſpecialiter ſunt reſervatæ: ſiquidem, ùt dictum, Eccleſia Romana, quæ prima & Diœceſis & Epiſcopatus diviſit, ita reliquis Eccleſijs vices ſuas credidit largiendas, ut in partem ſint vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis: prout notatur in *Can. qui ſe ſcit. II. q. 6.* & *Can. Decreto. ibid. q. 6.*

53. DICES. Principes S. R. I. poſſunt pro ſuis territorijs condere ſtatuta municipalia vim legis habentia, etiam contra jus commune Civile, ſive leges Cæſareas. ergo idem poterit Epiſcopus contra Jus Canonicum ℞. *N. conſeq. Diſp.* eſt; quòd Principes Imperij habeant à Cæſare Regalia, ejusque benignitate ſummum Magiſtratum repræſentent, ut mirum non ſit, quòd pro ſuis territorijs poſſint leges condere, dummodo cæteroquin neque Imperatori neque alijs Principibus aut populis præjudicium adferant, ſimulque ſalva maneant illa, quæ ſupremo Principi ſive Imperatori ſpecialiter reſervata eſſe ſolent; jam verò talis poteſtas ſtatuendi quidpiam contra jus commune, nullibi conceſſa reperitur Epiſcopis, ſed potiùs expreſsè reſtricta, per Jura allegata. Sed cur facultatem ſtatuendi quid contra jus commune ſoleat Principibus concedere Imperator, non Pontifex Epiſcopis? *Ratio* eſt: quia majus ſubverſatur periculum in concedendo facultatem ſtatuendi quidpiam contra Jus Canonicum, quàm contra Jus Civile; Nam Jus Canonicum principaliter intendit hominem dirigere in DEUM, ordinatúrque in finem ſalutis æternæ: periculum itáque foret manifeſtum ne Epiſcopi v. g. cum periculo animarum quandoque errarent, aut etiam ex inconſideratione, vel fraude diabolica circumventi quidpiam ſtatuerent fini ultimo, æternæque animarum ſaluti contrarium, ſi contra judicium ſummi Pontificis arbitratu ſuo leges condere valerent. Aliud ex adverſa ratione & fine eſt in Regimine Politico & Civili. Confer Ludov. Engel. *ad*

tit.

tit. de conſtit. n. 19. Alia Ratio eſt, quia Pontifex Poteſtatem ſuam ſpiritualem immediatè accipit à DEO, Imperator ab Electoribus, quibus proinde per Capitulationes Cæſareas quaſi ex pacto quædam prærogativæ competere poſſunt. Confer Vitriarium. *Inſtit. Juris publ. lib. 1. tit. 7. §. 8.*

§. V.

Quinam obligentur legibus Eccleſiaſticis?

54. MUlta hac de re præcedenti *Sect.* & ſparſim diximus; Proinde hìc velut probatum ſupponimus *1mò.* Sacris Canonibus aliíſque conſtitutionibus ſummi Pontificis in materia ſpirituali, animarum ſalutem, rectámque Eccleſiæ gubernationem concernente, obligari omnes omnino Chriſti fideles. *2dò* Leges ſeu ſtatuta inferiorum Prælatorum Eccleſiaſticorum obligare ſolùm ſubditos proprij territorij, dum ibidem exiſtunt ſecundùm dicta §. *3tiò.* Legislatorem etiam Pontificem ſuis ſtringi legibus, quò ad vim directivam non coactivam juxta dicta *Sect. 3.* §. 2. & late tradit Reiffenſt. *ad tit. de Conſtit.* §. *12. à n. 170 uſque ad n.* 174. quidquid minùs probabiliter contradicat Schmier *lib 1. tract 1. cap 5.* §. *3. à n. 145.*

55. De Hæreticis reſtat quæſtio: num conſtitutionibus Eccleſiaſticis ſubdantur? *R̄detur* autem *affirm* ex ratione, quia Hæretici per Baptiſmi lavacrum, ac fidem Chriſti in illo habitualiter receptam, jam ſunt ingreſſi Eccleſiam, ejusque membra effecti. Proinde manent obligati legibus ipſius. Nec OBEST quòd reſiſtant Eccleſiæ & Pontifici. Nam ex delicto & perfidia ſua non debent reportare commodum, quin & abſurdiſſimum foret, ideò ſubditos eximi à lege, quòd eam & Legislatorem Vatinianô (ùt ajunt) odiô proſequantur. Nec rurſum OBEST, quòd Hæretici cenſeantur eſſe extra Eccleſiam, cùm ſint excommunicati, & velut membra abſciſſa reputentur. Licet enim fructum Eccleſiæ & ſuffragia fidelium non participent, quia per fidem vivam & gratiam non ſunt uniti viſibili Capiti, & membris Eccleſiæ, equidem ſunt in Eccleſia ſecundùm quid, ratione duntaxat characteris Baptiſmalis indelebilis. Nec eſt paritas de membro Phyſico abſciſſo à corpore, & membro morali avulſo à corpore myſtico Eccleſiæ, quia, ùt dictum, Hæreticus, ùt ùt quò ad fructum participandum abſciſſus, ſecundùm quid, nempe ratione characteris indelebilis velit nolit, conjunctus manet, éſtque in libera poteſtate Hæ-

retici peractâ pœnitentiâ reincorporari corpori myſtico Eccleſiæ, quod ſecus eſt in corpore & membro Phyſico, v. g. membro hominis præciſo.

56. Conſequenter hìc quæritur de Judæis, Paganis & Catechumenis? ℞. tales utpote necdum Baptizati ſacris Canonibus ſeu legibus Eccleſiaſticis non obſtringuntur, niſi quatenus continent Jus, naturale vel Divinum. ita DD. communiter contra Abbatem. Hoſtienſem, & alios, quos citat & ſequitur Fagnanus, *in cap Canonum ſtatuta, n. 55. & ſeqq. de Conſtit.* Non obſcurè autem aſſertio noſtra colligitur ex S. Script. *1. Corinth. 5.* ubi Apoſtolus inquit: *quid mihi de ijs qui foris ſunt, judicare? nam eos qui foris ſunt DEUS judicabit*. Conſonat. *cap. gaudemus de Devorijs* ubi ex hac ratione expreſsè fatetur Pontifex, infideles & Paganos conſtitutionibus Canonicis non arctari; quod ipſum ſupponit Trident. *Seſſ. 14. cap. 2.* inquiens: *Cùm Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per Baptiſmi januam fuerat ingreſſus.* Itaque cùm infideles non ſint Eccleſiæ, ſubditi, per ſe patet, eos legibus ejus non ſtringi. Nec

57. FACIT quòd in *lib. V. Decretal.* habeatur titulus *De Judæis & Sarracenis & eorum ſervis* Nam Capitula iſtius tituli dum quidpiam directè præcipiunt Judæis, procedunt ſolùm de Judæis qui exiſtunt in temporali Territorio Romani Pontificis aut aliorum Prælatorum Eccleſiaſticorum, vel Principum Chriſtianorum, quibus proinde non minùs, quam alijs ſubditis pro pacifica inter Chriſtianos cohabitatione, meritò Pontifex certas leges præſcribere potuit; præterquam, quòd plures Canones in præfato *tit.* contenti directè lati fuerint pro Chriſtianis, quibus v.g. habitare prohibitum in domibus Judæorum. *cap. Judæi 5. eod.* ſuppeditare Sarracenis arma ad Chriſtianorum oppugnationem, *cap. ita quorundam 6.* & *cap. quod olim 12. eod.* famulari aut ſervire Judæis, *cap. adhæc 8. eod.* Nec *juvat* limitatio Fagnani *loc. cit. n. 79. & 81.* dicentis: infideles eſſe ſubjectos Papæ, & ligari ejus ſtatutis in materia ipſis adaptabili. Nam Pontifex *in cit. cap. gaudemus de Divortijs* negat Paganos teneri Canonicis conſtitutionibus, quæ Jure Eccleſiaſtico annullant contractum Matrimonialem; quid autem magìs poteſt eſſe accomodabile Paganis & Judæis, quàm materia contractûs matrimonialis? neque URGET, quòd omnis creatura rationalis ſit ovis Chriſti & Chriſtus Dominus Petro, ejúsq; ſucceſſoribus indefinitam dederit poteſtatem paſcendi oves ſuas, prædicandi Evangelium, Baptizandi, &c. juxta illud *Joan. 21. Paſce oves meas*, &

Matth.

Matth. ult. data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra; euntes ergo docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti: docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis. Hæc inquam non *Urgent*; licet enim etiam infideles dici poſſint oves Chriſti, eò, quòd ſint creaturæ rationales, quæ intrare poſſunt in ovile, per Baptiſmi lavacrum, reipsâ tamen quâ tales in ovili & paſcuo Chriſti non ſunt: proinde legibus Paſtoris non obſtringuntur. *Habeo* (inquit Salvator) *& alias oves, quæ non ſunt NB. ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus Paſtor. Joan. 10.*

58. Ob materiæ connexionem quæri porrò poteſt: Num Græci teneantur legibus Eccleſiæ latinæ? ſi loquamur de legibus Eccleſiaſticis, jus Divinum vel naturale declarantibus, certum eſt ijs tam Græcos, quàm Latinos ſtringi: Nam ſicut lege Divina & naturali ſine diſcrimine nationis, aut conditionis omnes omnino tenentur, ita etiam lege declarativâ Juris Divini, vel naturalis; quia lex declarativa non tam nova eſt, quàm præexiſtentis legis expoſitio, qui enim declarat, nihil novi conſtituit. Unde conſectaneum eſt, ſi Pontifex articulum fidei antehac hinc inde controverſum decernat; utique tam Græcos quàm Latinos illum pro tali ſuſcipere debere, ex quo enim fides eſt una; tam Græcis, quàm Latinis fidibus laudari debet. Quod ſi ſermo ſit de legibus Eccleſiaſticis purè humanis? ℞. ijs non conſtringi Græcos, ſi modernis temporibus ferantur. *Ratio*: quia ſum. Pontifex, ùt ùt quò ad Græcos eandem ligandi, ſolvendi, paſcendi, & jubendi poteſtatem adeptus fuerit, quàm conſecutus eſt in Latinos; equidem ex benigna conſideratione, non vult, eâdem uti adversùs Græcos in legibus Eccleſiaſticis purè humanis. *arg. can. ult. Diſt. 31.* & *cap. cùm olim 6. de Cleric. conjug. cap. quaſitum 7. de pœnit. & remiſſ.* ubi tres Pontifices Stephanus, Innocent. III. & Clemens III. præceptum Eccleſiaſticum de ſervanda à Clericis in Sacris Ordinibus conſtitutis, continentia, Græcos non obligare dilucidè profitentur; idipſum liquet ex alijs præceptis Eccleſiaſticis v. g. de conſecratione in azymo, collatione Ordinum, Sacrificio Miſſæ, quæ ritu valde diſtincto ſervantur à Græcis; licet igitur Pontifici non deſit poteſtas obligandi Græcos, deeſt tamen voluntas. *Dixi: ſi modernis temporibus ferantur*; ſiquidem antequam Græca Eccleſia à Latina divortium, & ſeceſſum fecit; legibus Pontificijs indiſtinctè obſtringebantur Græci, & Latini.

 §. VI.

§. VI.

Quanta Excellentia Authoritas, & poteſtas competat ſummo Pontifici intuitu Regum & Principum ſæcularium? ubi & de poſſeſſione Italiæ.

59. SUpra jam traditum Pontifici indirectam competere poteſtatem in Reges & Principes Chriſtianos, quò ad temporalia, quia tamen Philippus Reinhardus Vitriarius in ſuis Inſtitutionibus Juris publici Romano-Germanici, cum cæteris Novatoribus id negat, & datâ operâ canino dente Romani Pontificis ſanctam rodit ſuperioritatem, oraculo Chriſti in Divo Petro Ipſi conceſſam, quin & operis ſui Prolegomena eò direxit, ut ipſo in limine Lectorem pelliceret in odium Pontificis, hinc quatenus inſtituti noſtri ratio patitur, paucis vindicabimus Pontificis authoritatem.

60. Ponatur *1ma* Quæſtio. An poteſtas conferendi Epiſcopatus, Beneficiáque Eccleſiaſtica, dandi inveſtituram, & univerſim juriſdictio Spiritualis Cæſari ac Principibus Laicis competat, aut ab his derivata ſit in Pontificem? Vitriarius ſe multum demonſtrâſſe putat, dum *ex Can. 22. Diſt. 63.* recenſet, Hadrianum I. Papam cum conſenſu 153. Epiſcoporum, Carolo Magno dediſſe poteſtatem eligendi Pontificem, Ordinandi Apoſtolicam Sedem, inveſtiendi Archi- & Epiſcopos, ita, ut à nemine conſecretur Epiſcopus, niſi à Rege laudetur; ſed breviter Reſpondeo, inde plus non evinci, quàm, quòd Eccleſiæ utilitate & alijs circumſtantijs id poſtulantibus Cæſar aut Rex Romanorum velut Organum Pontificis prædicta præſtiterit, & hanc facultatem ex Privilegio conſecutus fuerit à Papa, qui eandem Jure Divino habet; unde minimè ſequitur hanc poteſtatem de ſe competere Capiti ſæculari, aut ab illo in Pontificem defluxiſſe. Nec Hildebrandus, poſtea Gregorius VII. aliíque Pontifices violarunt Cæſaris Jura, dum ſub pœna excommunicationis, interdicti, &c. vetuerunt è manibus Laicorum ſuſcipere Epiſcopatus, Abbatias, aut alia Beneficia Eccleſiaſtica. Tum quia prædeceſſores Pontifices, in re tanti momenti præjudicare non poterunt Succeſſoribus, pari à DEO poteſtate præditis. Tum quia Privilegium illud, quòd potius erat Mandatum Pontificis propter abuſum revocari potuit. Tum quia alteratis temporum circumſtantijs fieri potuit, ut contrariè ceſſaret cauſa finalis, ob quam Privilegium iſthoc Romanorum Imperatori

tori conceſſum; obſervarunt enim Pontifices, quòd Privilegium pientiſſimo & Chriſtianiſſimo Imperatori Caroli Magno & paucis alijs conceſſum, Ordinandi ſcil: Sedem Apoſtolicam, conſtituendi Epiſcopos, &c. in alijs ſucceſſoribus ſæpe fuerit occaſio Schiſmatum, obtrudendi indignos, Eccleſiæque nocivos Miniſtros, præterquàm quòd non ſolus Carolus facultatem acquiſiverit Pontificem conſtituendi, ſed potiùs ſuo conſenſu & approbatione coadjuvandi hujusmodi electionem. vide P. Schmier. *lib. 1. tract. III. cap. 1. Sect. 6. §. 1. per totum.* Quamobrem nemo, qui æquæ mentis eſt, mirári debet, Privilegium iſtud Jure ſublatum, & ſuo Authori reſtitutum fuiſſe. & hinc corruunt calumniæ ad unam omnes, quas inverecundo calamo expreſſit hac ſuper re Vitriarius.

61. Quæritur etiam: An Papa poſſit Reges creare? quòd Imperatoriæ competat Majeſtati Reges creare, non eſt, cur quis dubitet; nam ſicut olim Imperium Romanum Reges dabat Judæis, aliísque populis, ita quoque devoluto in Germanos Imperio, Facultas hæc in Auguſtam Cæſaris perſonam tranſijt; à dignitate itaque Imperiali procedit, inquit Du May in ſuo opere inſcripto. état De L' empire id eſt, *ſtatus Imperij* part 1. Dial. 2. pag. 107. jus condendi leges univerſales, Creandi Reges, Electores, Archi-Duces, Marchiones, Landgravios, Comites, &c. ita ut de fulgore Throni Cæſarei, velut ex ſole radij cæteræ prodeant Dignitates, abſque primæ lucis detrimento; & in hanc rem varia ſuppetunt exempla, Sic Otto III. Imper. Boleslaum Chobrium, Poloniæ Ducem ad ſummam Regij Culminis dignitatem evexit, teſte Cromero *de origine & reb. geſt. Polonor. lib. 4. pag. 446.* Sic Henricus IV. Ducem Bohemiæ Vratislaum, qui egregiam adverſus Rudolphum Sveviæ Ducem, operam novârat, teſte Limnæo. *lib. 1. cap. 9. §. 10.* Moguntiæ *Annô 1087.* Regio titulo exornavit. Sic denique (miſſis alijs) non ita pridem Marchio, & Elector Brandenburgicus à Leopoldo I. Imperatore, Rex Pruſſiæ creatus. Hæc certa ſunt. Sed de Pontifice reſtat dubium; Hæretici, quia Pontificem ſub Imperatore collocant, facilè concludent, Papam Reges creare non poſſe. ego diſtingvendum putem, an agatur de Regno & Rege primitus conſtituendo, & videtur aſſerendum, quòd nullus niſi Imperator in Imperio Romano-Germanico Reges creare poſſit, ùt ùt Pontificis aſſenſus & confirmatio de honeſtate ſaltem requiratur. An verò quæſtio ſit de creando Rege in Regno jam conſtituto; quo caſu ſubdiſtingvendum & dicendum:

Ponti-

Pontificem per indirectam poteſtatem id poſſe non verò directò. Patet ex dictis § 3. *n.* 22. ubi oſtenſum Pontificis ſupremam in ſpiritualibus jurisdictionem *indirectè* ſe extendere ad cauſas, & res temporales, ita, ut Regum & Principum Decreta & leges corrigere, ipſos Principatu & Regno exuere, eorúmque ſubditos à Juramento fidelitatis abſolvere poſſit, quando nimirum id exigit honor DEI, neceſſitas aut utilitas Eccleſiæ, ſalus animarum, & bonum ſpirituale. Huc facit, quòd in veteri Teſtamento Jojada Pontifex *lib. Paralip. c.* 23. & 4. *Reg.* 11. Athaliam Reginam Regno, quod injuſtè occupaverat, & connivente populo Idolorum cultu noviter invecto per ſexennium tenuerat, ſpoliatam occidi juſſerit ac filium ejus Joam in Regem coronaverit. In novo quoque Teſtamento Salvator & Legifer noſter Divo Petro, & ejus ſucceſſoribus univerſalem & abſolutam conceſſit poteſtatem tum oves paſcendi. *Joan.* 21. tum ligandi & ſolvendi ſuper terram, claudendi, & referandi januam Cæleſtem. *Matth.* 16. Proinde, ſi quid ſuper terram inveniatur, quod obicem ponat conſecutioni Regni cæleſtis; ſummi Pontificis erit, illud removere ne temporalia ſpiritualibus obſint; huic rei etiam Argumento eſt, quòd, cùm *Lucæ* 22. *cap.* Apoſtoli dicerent: *Ecce duo gladij hìc!* Reſponderit Salvator: *ſatìs eſt* Volens innuere duplicem Eccleſiæ gladium competere, temporalem unum, quem apud *Matthæum cap.* 26. *ṽ.* 52. recondi voluit in vaginam, utpote non vindictæ ſed cauſa neceſſitatis arripiendum; Spiritualem alterum, Jure ordinario evaginandum. Confer Bonifac. VIII. *in Extravag. unic. de Maj. & obed. inter comm.* Idipſum (prætermiſſis claris textibus Juris Canonici, velut teſtibus è domo propria petitis) ſatis indicat Apoſtolus 2. *ad Corinth. cap.* 6. inquiens: *neſcitis quoniam Angelos judicabimus, quantò magìs ſæcularia?* Igitur officium Paſtoris, quod ex Divina commiſſione gerit Pontifex, non tantùm exigit poteſtatem paſcendi oves, ſed etiam abigendi hircos, lupos, & prædones, ſi gregem Chriſti invadere tentent. Adhæc: ab actu ad potentiam juſta eſt conſequentia, atqui ex hiſtorijs notum, quòd Paulus IV. Regnum Irlandicum ſeu Hybernicum condiderit, Hadrianus VI. Pontifex Wilhelmum Rugerij III. filium, utriusque Siciliæ Regem creaverit teſte Bodino *lib.* I. *de Republ. cap.* 9. conſtat quoque, quòd à Pontifice (poſtquam Joañes Rex Britanniæ ob homicidium Arturi Provincijs in Francia & Britañia exutus erat) Rex Britañiæ creatus fuerit Ludovicus Regis Galliæ filius; unde nata prætenſio Regis Galliæ in Angliam. Gaſtel. *de ſtat. publ. Evrop. pag.* 149. ergo. ex his

62. Liquidò ſequitur, contra Novatores modernos, à Pontifice non poſſe appellari ad Reges, quaſi ad ipſos ceu Canonum protectores ſpectet providere, ne quid attentetur illis contrarium, aut quaſi in poteſtate eorum ſit, Bullas, Sententias, Legéſque Eccleſiaſticas ad examen, judiciúmque ſuum revocare, arbitraríque, an quid Canonibus adverſum complectantur. Nam demus etiam ultrò, interdum injuſtas eſſe Pontificum ſententias, v. g. ob errorem in facto commiſſum, num ideo quia injuſtæ ſunt, debent majori injuſtitia propulſari? quæ verò major injuſtitia, quàm privatam injuriam cum publico Eccleſiæ opprobrio & dedecore vindicare, eámque alieno non tantùm, ſed & inferiori ſubjicere tribunali? & ſanè ſi à Rege ad Parlamentum appellari non poteſt, cur à Pontifice ad Regem provocare licebit?

63. Vitriarius *lib. 1. Inſtit. Juris publici tit. 13. §. 3.* id, quod duobus & amplius ſæculis pro certo habitum in dubium vocat, videl. An ſeptem virale Collegium à Gregorio V. Pontifice inſtitutum fuerit? ſed Catholicorum vetus & nova eſt ſententia, ſummum Pontificem Leonem III. ex circumſtantijs ſuo tempore occurrentibus, relatis à Gloſſ. *ad cap. Venerabilem 34 V. Transtulit. de Elect. & Elect. poteſt.* poſtulante ſic fine naturali, ac Eccleſiæ gubernatione, rectóque ipſius regimine in ſpiritualibus, potuiſſe transferre in perſonam Caroli Magni Imperium à Græcis in Germanos, diſponere de Imperatoris electione, confirmatione, coronatione & Juramento fidelitatis, eáque omnia ſibi reſervare. vide Bellarm. *Tom. 1. Controvers. 3. lib 5. cap. 8* & Baron. *Tom. IX. & X. Annal.* Zoës. *ad tit. de Elect. n. 89.* & licet quidam etiam ex Catholicis ſcriptoribus, de nomine Pontificis, & quò ad tempus inſtituti ſeptem-viratûs diſcrepent, & non Gregorium V. ſed Gregorium X. alij Innocentium IV. Authorem ſtatuant; communior tamen, Scriptorum calculus tradit, facultatem eligendi Romanum Imperatorem à Gregorio V. primùm conceſſam eſſe illis ſeptem Germaniæ Magnatibus nempe tribus Eccleſiaſticis, & quatuor Sæcularibus, quos nuncupatim refert Gloſſ. *in cap. ad Apoſtolicam V. autem. de re Judic. in 6.* Confer Navar. *in cap. novit. Notab. 3. à n. 124. de judic.* Bellarminus. *controv. 3. generali ſub tit. de Rom. Pontif. lib. 5. cap. 8. vers. ſeptimum.* & *in Tract. de Transl. Imperij, lib. 1. cap. 4. & ſeqq. & lib. 2. per tot.* & *lib. 3. cap. 3.* Azor. *Inſtit. Moral. p. 2. lib. 4. c. 19. q. 7. & lib. 11. c. 8. q. 4.* Barbos. *in collectan. ad cap. venerabilem 34. de Elect. & Elect. poteſt. à n. 1. uſque ad 8.*

64. Alia hinc profluit quæſtio. Num Rom. Pontifex poſſit Electores iſto Jure privare? *Gloſſ. penult in cap. 2. de re jud.* & Joan. Andreæ, ibidem, volunt hoc non eſſe licitum Pontifici, niſi in caſum, quo eligere nollent. Veriùs tamen poſſe auferre, & ad alios, transferre, juſtâ causâ id poſtulante; v. g. ſi Electores in Schiſma, Hæreſim, &c. prolaberentut, negligentes forent in eligendo, cum detrimento & ſcandalo Eccleſiæ, populíque Chriſtiani. Nam cùm juſtis ex cauſis, in eos hanc tranſtulerit poteſtatem, quidnî & auferre poterit, cùm ejus ſit deſtituere, cujus inſtituere Zoës *loc. cit. n. 90.*

65. Dubitare quis poſſet, an ſum. Pontifex in Lutheranos & Calviniſtas in Imperio Romano, jurisdictionem aliquam exercere poſſit? ℞. ex dictis §. 5. jurisdictionem utique competere Pontifici, utpote quam abdicare à ſe nec valuit, nec voluit, Jure Divino reclamante, & tametſi Pacificatio vulgò *Religioſa*, Auguſtana, Monaſterienſis, & Osnabrugenſis, impedimento ſit, quò minùs jurisdictione ſuâ Pontiſex tam liberè ſicut ante utatur; attamen utitur, quantùm poteſt, ùt conſtat ex Bulla *Cœnæ*, quâ quòtannis profligantur Hæretici, &c. Præterquàm quòd Pax iſta Religioſa facta ſit ſine conſenſu Papæ, quin & Ipſo per Legatos ſuos expreſsè contra proteſtante. Dicere verò cum Novatoribus, non fuiſſe in hoc Religionis negotio opus conſenſu Papæ, eſt loqui ex quinto, quod confinxerunt Evangelio, eſt adimere Pontifici authoritatem eidem in D. Petro per Chriſtum attributam, eſt ſubvertere Petram Eccleſiæ Chriſtianæ, eſt Sacra profanare. Sanè ſi in Negotio Regionis pax profana ſinè conſenſu ſummi Principis temporalis fieri non poteſt; cur ſtabilita cenſebitur pax Religioſa in negotio Religionis, ſine aſſenſu ſummi Principis Eccleſiaſtici? ex quo ſequitur Pacem hanc Religioſam non obligare niſi Principes paciſcentes, & non tam Religionis, quàm Regionis & publicæ tranquillitatis causâ conceptam eſſe, quia nempe non expediebat diuturnioribus armis Orthodoxam vindicare fidem, quam ejuratis Hæreſibus ultrò videmus amplecti illos, qui ad cor redeunt. Sequitur quoque Lutheranorum, & Reformatorum ſeu Calviniſtarum ſectam in terris Imperij, ubi pro tunc introducta erat, in Transactione Paſſavienſi *De Anno* 1552. & Comitijs Auguſtanis *De Anno* 1555. *&* 1556 & tandem in Comitijs Osnabrugi & Monaſterij Weſtphaliæ, *Annó* 1648. celebratis, fuiſſe publicæ pacis causâ tolleratam, non verò approbatam aut confirmatam; quia ſicut unus DEUS, & unum Bapriſma, ita ſalvifica fides una; & proinde cùm ſecundum leges

ges ſundamentales in Aurea Bulla comprehenſas, inter alia requiratur, ut in Romanorum Imperatorem eligendus ſit *Chriſtianus*, non *Hæreticus*, cùm ſit caput populi Chriſtiani; manifeſtum eſt, quòd Proteſtantium Religionis, Imperator eſſe non poſſit. Nec juvat cum Vitriario *lib. 1. tit. 5.* §. *4.* dicere proteſtantes, eò quòd eorum Religio in Imperio confirmata ſit, per *Receſſ. Imp.* De Ann. 1555. & alias Capitulationes Imperatorum, non eſſe Hæreticos, nam ùt dictum, confirmata non fuit, nec confirmari potuit, ùt vera Religio, ſed merè tolerata. Confirmationis igitur expreſſio ſolùm tangit poſſeſſionem bonorum ab Hæreticis occupatorum, & Jura alia temporalia, quibus cedere paciſcentes poterant.

66. Si INSTES cum Vitriario *loc. cit.* Qui idoneus eſt, ut eligat Imperatorem, idoneus etiam eſt, ut in eum eligatur; poteſt enim (inquit) Elector ſibi ipſi votum dare in electione, illúdque ab alijs confirmari. ℞. N. *2dam partem*; Nam votum activum à paſſivo ſecerni & ſeparari poſſe, vel in ipſis patet Electoribus Eccleſiaſticis, qui tametſi eligere, non tamen eligi poſſunt in Imperatorem. Sicut igitur Imperator eſt temporale caput, & ideò non convenit, ut Sceptrum & Pedum una manus teneat; ita quia eſt caput populi Chriſtiani & ſupremus Eccleſiæ Advocatus, & defenſor; non quadrat, ſed poſitivè repugnat, ut talem populus iſte pro capite habeat, qui Orthodoxam fidem Chriſti non ſequitur, & Eccleſia revereatur eum pro Advocato, qui eandem audire non vult, ſed contentioſè oppugnat.

67. Poſtremò inveſtigemus, quomodò Italia ad Romanam Sedem pervenerit? & an Jure à Pontifice poſſideatur? pro quo ſciendum, quòd Conſtantinus Imperator Zelo Catholicæ fidei motus, deſiderans Apoſtolicam Romanam ſedem temporali quoque adjutorio & Majeſtate ſplendeſcere, inſignem illam ac munificentiſſimam Beato Sylveſtro I. Papæ, Domini noſtri JESU Vicario, ejúsque ſucceſſoribus donationem fecerit, quâ annuentibus omnibus Satrapis, conſentientéque toto Senatu inter alia Imperialia Jura, Romanam Urbem cum tota Italia, in quantùm Imperio tunc ſuberat, conceſſerit in perpetuum. Verùm Vitriarius cum alijs ejuſdem fœcis ſectatoribus, Pontificiæ Sedis eminentiam ferre non valentibus, in diſcrimen vocat præfatam Conſtantini Magni donationem, quaſi aut planè nunquam facta, aut non Jure facta ſit.

68. Quòd reapſe facta ſit, probatur præprimis ex *Can. Conſtantinus 13. & 14. diſt. 96.* ubi inſtrumentum hujus donationis refertur;

& quanquam apud Scriptores ſæculi quarti, mentionem Imperialis iſtius munificentiæ haud reperiri contendant aliqui; reverà tamen non deſtituitur authoritate, & teſtimonio antiquiſſimorum graviſſimorúmque Patrum, Damaſi ſcil: Pontificis, SS. Iſidori, Bernardi, Hieronymi, & rurſus aliorum Pontificum in *Can.cit.* & *Clement. 1. V. porrò de Jureiur.* ubi demonſtrant Carolum Magnum, Henricum II. Othonem IV. & Federicum II. donationem à Conſtantino factam confirmâſſe & innovâſſe. vide *Can. Ego Ludovicus 30. Diſt. 63.* ubi Ludovicus Romanorum Imp. ſic perſonat: *Statuo & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ, tibi Beato Petro Principi Apoſtolorum, & per te Vicario tuo Domino Paſchali ſummo Pontifici, & univerſali Papæ & ſucceſſoribus ejus in perpetuum, ſicut à prædeceſſoribus noſtris, uſque nunc, in veſtra poteſtate & ditione tenuiſtis & diſpoſuiſtis Romanam civitatem, cum Ducatu ſuo & Suburbanis, &c.* Hujus etiam donationis tenorem de verbum refert Albericus de Roſate *in l. 1. § in initio. n. 6. ff. de Officio Præfecti Urbis.* & in Lateranenſi Eccleſia conſervari tradit Paulus Gryſald *in Deciſionib. Catholicæ fidei. verb. Imperator. n. 2.* & eam ab Hæreticorum cavillationibus, tum rationibus, tum authoritatibus copioſis defendunt & comprobant Card. Turrecremata *de poteſtate Eccleſiæ lib. 2. cap. 42.* Corſet. *in tract. de poteſt. Regia. quæſt. fin. n. 3.* Hierony. de Monte. *de finib. regund. cap. 11. n. 11.* & ſeqq. Covarru. *lib. 4. variar. reſol. cap. 16. n. 8.* Mantuan. *obſerv. 100.* Melch. Canus *de locis Theologicis lib. 11. cap. 5.* Alphonſus de Mendoza *in quodlib. q. 4. Scholaſt. §. 4. vers. 5.* Navarrus. *in cap. novit. de judicijs n. 77.* Menoch. *Conſil. 149. n. 39.* Molin. *de juſtitia. tract. 2. Diſp 25.* Card. Bellarm. *in Controvers. fidei. tom. II. lib. 2. de transl. Imper. cap 3.* & denique Card. Cæſar. Baronius ad Annum Chriſti 324. quem Vitriarius *lib. 2. inſtit. Juris publ. tit. 4. §. 4.* falſo in ſuam trahit partem; ſiquidem præfatus Cardinalis ibid. *pag. mihi 267. & ſeqq.* laborioſè, & operoſè demonſtrat, quód Evſebius Pamphili, Epiſcopus Cæſareæ Paleſtinæ, Arianorum Anteſignanus, in gratiam Conſtantis Imperatoris, pariter Arianâ fœce infecti, primus ſcripſerit, Conſtantinum non fuiſſe Romæ à Beato Sylveſtro, ſed Nicomediæ, anno *ætatis ſuæ 63.* ab Evſebio Nicomedienſi Epiſcopo Ariano Baptizatum. Quam fabulam Baronius *loc. cit.* vel exinde detegit, quòd præfatus Conſtantinus, diu ante mortem, cum Perſis & alijs certaturus, ne lixam quidem voluerit, niſi undâ Baptiſmatis tinctum in hoſtem proficiſci; tum ex eo, quòd Eccleſiæ orationibus, Communioni Paſchali, ac Concilijs Patrum,

ſæpe

ſæpe interfuerit, quod Cathechumenis non erat permiſſum; unde pergit idem Baronius) dum D. Ambroſius in oratione habita in funere Theodoſij, aſſerit, Conſtantinum in vitæ ultimo penè articulo baptizatum; inductus fuit per mendacia præfati Evſebij, cujus fidem obiter ſecutus fuit. Et quomodò tantis encomijs Conſtantinus à Latinis Græcíſque Patribus celebratus eſſet, ſi ab Ariano in articulo mortis baptizatus fuiſſet? Nec obeſt, quòd in Chronico Hieronymi, dicatur Conſtantinus in extremo vitæ ſuæ tempore ab Evſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus, & in Arianum dogma declinâſſe; Nam Reſpondet idem Baronius, hæc non à D. Hieronymo, ſed ab alio quodam corruptore addita fore; cui argumento eſt, quòd ipſe Hieronymus, agens contra Vigilantium, Sanctarum Reliquiarum cultum Spernentem, probet Conſtantinum Reliquias SS. Andreæ, Lucæ & Timothei, tranſtuliſſe Conſtantinopolim, quod ſanè non feciſſet, niſi Catholicus fuiſſet. Cauſa igitur erroris eſt (inquit idem Baronius) negligentia librariorum, aut malitia Scriptorum, qui locò Conſtantini, Conſtantem, qui revera Arianus fuit, poſuerunt. Quò verò minùs dubitare poſſis de veritate eorum, quæ à Conſtantino geſta eſſe diximus, lege eundem Baronium *loc. cit. pag. 273. & ſeqq.* ubi articulatè refert, quas Conſtantinus per ſeptem dies, quibus in albis erat poſt Baptiſmum, pro Chriſtiana Religione leges tulerit, quibus Privilegijs Romanam Eccleſiam honoraverit, quas Baſilicas ædificaverit, quáſq; donationes in honorem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Romæ fecerit. Unde audiendi non ſunt Lambetius *in fine tomi V. Bibliothecæ Cæſareæ.* Papebrochius *tom. V. Actor. Sanct. menſis Maji, in vita Conſtantini Magni*, qui eundem propediem moriturum Nicomediæ ab Evſebio illius urbis Epiſcopo Ariano; baptizatum contendunt. Faceſſat etiam Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon, nuperrimus Scriptor ex Ordine Prædicatorum, qui in *tomulo 1. ſuæ hiſtoriæ*, abſque fundamento in dubium vocat, quæcunque inter Conſtantinum Imperatorem & Sylveſtrum Papam interceſſiſſe ab alijs ſcriptoribus referuntur, ut Baptizationem prædictam, donationem Urbis Romæ eidem Pontifici factam, curationem Imperatoris à lepra, & id genus alia. Et ſanè manifeſtè ſibi contradicit citatus Amat de Graveſon, dum aſſerit Conſtantinum vidiſſe in ſole vexillum Crucis cum Epigraphe: *in hoc vince.* Et hoc Crucis trophæo animatum, Maxentium in ponte Milvio profligâſſe: ob hanc partam inſignem Victoriam, Chriſtianam Religionem totis viribus defendiſſe, & latiſſimè propagâſſe

gâſſe, multa in gratiam Chriſtianorum tuliſſe edicta, quibus ablatas Eccleſias reſtitui juſſit; plurima Privilegia munificentiſſimè conceſſiſſe, fidem Chriſtianam in toto Imperio liberè promulgari juſſiſſe; omnes ſuos ſubditos è denſiſſimis, quibus erant immerſi, Idololatriæ tenebris, ad ſplendidiſſimã fidei Chriſtianæ lucem reducere maximopere ſtuduiſſe; Deorum delubra vel obſerari, vel omnino deſtrui præcepiſſe; Diei Dominicæ celebrationem in toto Imperio Romano edixiſſe, magnificentiſſimas exſtruxiſſe Eccleſias; multis Privilegijs & immunitatibus Clerum exornâſſe, debitam Epiſcopis authoritatem aſſeruiſſe, ac vindicâſſe; ad componenda inter Chriſtianos enata diſſidia ſæpe arbitrum fuiſſe, & ne latius gliſcerent, quàm primùm in Concilijs dirimenda curâſſe; Sepulchrum Chriſti Domini Jeroſolymis detegere meruiſſe; ibidémque in ejus honorem, & in oppido Bethlehem, nobiliſſimum templum extruxiſſe. Quomodò inquam (ut de Helena Matre ejus Religioſiſſima nihil dicam) hæc omnia vera eſſent, ſi Conſtantinus, uſque ad extrema vitæ tempora fuiſſet Gentilis aut Catechumenus, & tandem ab Ariano Epiſcopo baptizatus. Videat ergo jam citatus Scriptor, quàm inopis ſit judicij, dum *in tom. 1. ſæculi 4. pag.* ſecundùm impreſſionem Romanam. *mihi 243.* imprudenter in dubium vocat Baptiſmum Conſtantini à Sylveſtro collatum; Sanè & ſuam prodit ignorantiam Canonum, quibus id diſertè edocetur, ùt patet *ex Can. Conſtantinus. Can. Ego Ludovicus, & cap. fundamenta. ſupra citatis.*

69. DICES cum Authore Notarum ad Vitriar. Donatio Conſtantini Magni refertur ſub inſcriptione *palea*, quæ vox denotat figmentum aliquod, Canonémve iſtum, cui adjecta eſt, eſſe ſtramineum, & quaſi nullius momenti. ℞. quòd per *tò Palea* non denotetur res vilis aut fictitia facilè noverit ille, qui ſignificationem vocis *Palea* exploratam habet. vide dicta ſuperiùs *Sect. 4. §. 2. n. 8.* Et cur Pontifices, Canones iſtos *Palea* inſcriptos paterentur in Corpore Juris ſui, ſi fabuloſi & commentitij forent?

70. INSURGUNT turmatim Alij. Non potuit (inquiunt) Imperator in damnum Imperij, tam amplas facere donationes, quia in ſua Coronatione jurat, honorem, & Imperij Jura illæſa, & illibata ſervare; ergò immodica iſthæc donatio, nedum illicita, ſed & invalida fuit; *arg. cap. intellecto. de Jurejur.* Sed facilè ℞*detur* in donatione ab Imperatore facta Romanæ Sedi Apoſtolicæ, minimè poſſe conſiderari gravè Imperij præjudicium; tum quia ſi plura dent Impera-

peratores DEO, multò majora ab eo recipiunt, ùt eleganter ait *text. in Authent. de non alienand. reb. Eccleſiæ*, §. *ſi minus. Collat.* 2. quin, & quod Eccleſijs donatur, redditur DEO à quo omne bonum & donum optimum provenire Apoſtolus docuit; quamobrèm, cum David *Paralip.* 1. *cap. ult.* dicere potuit Conſtantinus: *tua ſunt omnia Domine, & quæ de manu accepimus, dedimus tibi.* Tum quia terras, quas donavit, præcedentium Principum tyrannide fuerant occupatæ, & Jure gladij per Conſtantinum acquiſitæ. ergo illa velut rem ſibi pleno Jure propriam Eccleſiæ donare potuit. Tum denique, quia Conſtantinus ingentibus beneficijs à DEO acceptis, ſcil. in curatione lepræ, & Victoria contra Maxentium, &c. Divinitus permotus eſt ad donationem illam faciendam, conſiderando, quòd oporteret Eccleſiam Romanam, Imperatorum tyrannide diu afflictam, temporalium bonorum auxilio muniri.

71. OBSISTUNT. Saltèm ſolus Conſtantinus dismembrare non potuit Imperium. ℞. *Tranſeat.* hoc, quod cum bono fundamento negari poteſt, de parte, quam proprio Marte Imperator acquiſivit; ſicut Conſtantinus ſibi ſubegerat Italiam. & *Nego* rurſus *ſuppoſitum*, quia donatio præfata non à ſolo Conſtantino, ſed cum conſenſu, aut ſaltèm præſcitu Satraparum, Optimatum, Senatûs & Populi ſolemniſſimè facta, ut probat *text. in cit. Can. Conſtantinus; & in cap. fundamenta. de Elect. in 6.* Jam verò nemo dubitare poteſt, quòd Populus, qui Imperij poteſtatem in unum caput contulit. *l. 1. ff. de Conſtit. Princip.* eandem conſentiente Principe in alium transferre poſſit. Nam *omnis res, per quascunque cauſas naſcitur, per easdem diſſolvitur R. I. Canonici 1.*

72. REPLICANT. Cæſares, Nomen Romani Imperatoris, conſtanter retinuerunt, & ſæpe proteſtati fuêre contra donationem à Conſtantino factam Eccleſiæ, ergo Pontifex nequidem præſcriptione longiſſimi temporis ſe defendere poteſt. ℞. Tametſi demus Conſtantini Succeſſores, eo tempore, quo Imperium apud Græcos reſidebat, quodam colore conqueri potuiſſe de effuſa Imperatoris largitione; minimè tamen querulari potuerunt Imperatores Germani, ad quos à Græcis non per Græcos, ſed per Romanum Pontificem Imperatoria Majeſtas translata eſt. *cap. Venerabilem de Elect.* & fusè explicat Navar. *ad d. cap. novit. n. 3. & n. 124.* & prolixiùs Card. Bellarm. per integrum tractatum *de Translat. Imperij tom. 1.*

73. Ex paucis his (nam plura excerpere piget) quivis ſenſatus facilè concluſerit, quàm ſcandaloſis & periculoſis principijs inſtituat Vitriarius Juris publici Candidatos. Ita exaltat Principum ſæcularium potentiam, ut Eccleſiaſticam deſtruat poteſtatem, ita adorat Reges, ut tergum vertat Altari, ita Monarchiam ſtruit Imperij, ut Hierarchiam deſtruat Eccleſiæ. Cane quoque pejus & angue fugiendi ſunt cæteri Scriptores Juris publici, qui Lutheri & Calvini inſaniam ſequentes, laborant ſummè noxiâ hac prurigine, ut quavis occaſione venenatos dentes contra nos acuant, ſum. Pontificem mordaci auſu impetant, ac Orthodoxam fidem, cujus nitorem & fulgorem, velut noctuæ, ferre nequeunt, maledicentiæ Caligine deturpare properent; me Hercle? integra calumniarum plauſtra in Gregorium VII. effundunt, quem uti libertatis, immunitatis & ſuperioritatis Eccleſiaſticæ, Herculeum vindicem nôrunt, ita non vanè pertimeſcunt, ne, ſi acta illius à Cælo, & tota olim Eccleſia comprobata, aut extollant apertè, aut ſtudioſè diſſimulent, actum & conclamatum ſit de ſua fabula, Non vindicat ſibi Pontifex Jura Imperatoris, ſed utrámque & Pontificiam, & Imperatoriam poteſtatem in ſuo ordine ſupremam, illam in ſpiritualibus, hanc in temporalibus, ultrò fatetur *in Can. 6 & ſeqq. Diſt. 96. cap. ſollicitæ 6. de Major. & obed.* Habet equidem & ipſe poteſtatem profanam in territorio & Patrimonio D. Petri, hæc tamen ſuos intra cancellos concluſa, Juriſdictionem Imperatoriam non perturbat. Habet quoque Imperator aliquid de Juribus Eccleſiæ, ſed à ſupremo Eccleſiæ Principe, in ſe derivatum eſſe, non ibit inficias. Alij quoque Reges & Monarchæ Catholici idipſum agnoſcunt; ſum. Pontificem ceu Patrem & Paſtorem maximum ſalvâ ſuâ Majeſtate venerantur; illum in Eccleſia Chriſtiana, ſe in Regnis ſuis ſupremos credunt; ab illo ſpiritualia, à ſe temporalia Jura directo & ordinario ordine profluere non negant. Iterùm iterúmque igitur Juris publici Candidatos cautos eſſe velim in per volvendo hoc genere librorum ab Heterodoxis editorum, ne in rebus fidem & Hiſtoriam Eccleſiaſticam quomodolibet tangentibus, ipſorum documentis, quæ plerúmque domeſtica & noviter fabricata ſunt, fidant, alioquin pro floribus, quos ſperant, ſpinas & tribulos invenient, animam periculoſiùs, quàm corpus pungentes. Emunctiores porrò Publiciſtæ ſunt Franciſcus Fridericus L. B. ab Andleren *in ſua juriſprud. publica & privata* Bernardus Gletle *in ſelect. jur. publ.* Hermannus Hermes *in Faſciculo jur. publ.* Dominus de Wolleren. Franciſcus Schmier & alij.

AP-

APPENDIX
DE
Concordatis Germaniæ.

1. COncordata Germaniæ ſunt pactio ſolemnis, primùm quidem inter Eugenium IV. poſteà eo defuncto inter Nicolaum V. Pontificem Maximum ex una, & Imperatorem Fridericum III. cæteróſque Germaniæ Proceres, tum Eccleſiaſticos, tum ſæculares, ex altera parte; de Dignitatibus & Præbendis Eccleſiarum Germaniæ, pro majori pace, & concordia *Annô 1447.* concepta: prout liquet ex conſtitutione Nicolai V. deſuper promulgata, quæ commentarijs illuſtrata, verbotenus refertur à P. Anacleto Reiffenſtuel ad *tit. de Præbend. & Dignit. §. 18. pag mihi 206.* & P. Franc, Schmier. *lib. 3. Juris pr. Cano-Civil. Tract. 1. p. 2. cap. 3. Sect. 6. §. 1.* Gregorio Branden in *princip. Tract. ſuper Concordatis Germaniæ.* & Laurentio Nicolarts in *proëm. Praxis Beneficiariæ, &c.*

2. Obſervare hîc in limine juvat, quòd concordata Germaniæ, quò ad reſervationes beneficiorum, favorabiliora ſint noſtræ Inclytæ nationis Collatoribus, quàm Regulæ Cancellariæ. Tum quia per *Regulam 2.* Cancellariæ reſervantur *generaliter omnes Eccleſiæ Patriarchales, Primitiales, Archi-Epiſcopales, Epiſcopales, nec non monaſteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri, communi æſtimatione excedentia;* & vacantia ſeu vacatura, cùm è contra in concordatis Germaniæ, de his extra curiam vacantibus, concedatur fieri in partibus electio, quæ tamen ad ſedem Apoſtolicam, pro confirmatione deferenda, proût latiùs expreſſum §. 2. *Concord. Germ.* tum quia juxta *Regulam 8.* Cancellariæ (quæ nunc *una* eſt) Pontificiæ collationi reſervantur octo menſes, videl. menſis Januarij, Februarij, Aprilis, Maij, Julij, Auguſti, Octobris, & Novembris: demptis Patriarchis, Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis, quibus, in Eccleſijs ſuis perſonaliter reſidentibus (ſub certis tamen limitationibus) ex ſingulari gratia conceditur alternativa ſex menſium, cùm è contra Concordata Germ. quibusvis collatoribus inferioribus, indiſtinctè relinquant *per §. 2. & 3.* alternativam ſex menſium, pro collatione beneficiorum expreſsè non reſervatorum, in ipſis vacantium. Tum deníque

que; quia juxta Regulas Cancellariæ, beneficia vacantia in menſibus reſervatis, perpetuò remanent reſervata ſeu affecta, ita, ut de illis nullus ampliùs, præter Romanum Pontificem, ullo amplius tempore, diſponere, aut ea conferre valeat; cùm è contra per Concordata Germaniæ Sedes Apoſtolica adeò benignam Nationi Germanicæ, ſe ſe exhibere dignata ſit, ut poſt lapſum unius trimeſtris â die notæ vacationis in loco beneficij, ſi nondum apparuerit de facta provıſione Apoſtolica, concedat fieri collationem beneficij per Collatores inferiores, ſicque quodammodo patiatur fieri devolutionem à ſupremo Eccleſiæ capite ad inferiorem, de quo pluribus infra. jam

3. QUÆRES 1. Quænam beneficia per concordata Germaniæ ſint reſervata Pontifici? ℟. *in Conſtitut.* Nicolai quinti, quæ incipit: *Ad ſacram Petri.* §. *placet nobis 3.* inprimis renovantur, & confirmantur reſervationes Juris ſcripti, præcipuè illæ, quæ continentur in *Extravag. Execrabilis.* & *Extravag. Ad Regimen.* Ubi Nota, quòd Jure ſcripto per *cap. licet 2.* & *cap. ſtatutum 3.* & *cap. præſenti 34. De præbend. in 6.* Pontifici reſerventur beneficia, quæ vacant apud Sedem Apoſtolicam, vel in Curia. vide Reiffenſt. *ad tit. De Præbend. n. 434.* in Curia autem, vel apud Sedem Apoſtolicam, dicuntur vacare beneficia, quorum vacatura Romæ inducitur, vel quia beneficiatus, dum in Curia Romana (cujus nomine intelligitur locus, in quo cauſarum, & literarum Apoſtolicarum eſt audientia & expeditio) morabatur, & ibidem, aut in diſceſſu, in loco vicino intra duas diætas legales, ſeu intra iter bidui mortuus eſt. Vel quia Beneficiatus in manus Papæ ſuum beneficium reſignat; vel quia alias authoritate Pontificis, vacatura contingit. *Extravag. ex debito. De Præbend. inter commun.* in *Extravag.* verô *Execrabilis eod. tit.* reſervantur beneficia, quæ vacant per retentionem primi, quando enim is, qui ſecundum beneficium incompatibile cum primo pacificè poſſidet, & illud unà cum primo, quo ipſo Jure privatus erat, retinere contendit; privatur etiam ſecundo, ídque Pontifici reſervatur in *cit. Extravag.* An verò primum Beneficium etiam fiat reſervatum? dubitatur. Sed ſententia negantium potiorem meruit DD. calculum, ut videre eſt apud Barboſam *in Collectaneis ad cit. Extrav. n. 10.* eámque tenent Pirhing *ad tit. De præbend. n. 154.* & recenter Reiffenſtuel *ibid. n. 456.* & meritò; nam ante illam Extravagantem non erat reſervatum, juxta *cap. De multa 28. De præbend.* nec poſt; ut conſtat *ex cap. licèt Epiſcopus 26. eod. in 6.* nec in ipſa extravagante; ſiquidem Joannes XXII. in illa jubet,

jubet, ut beneficia talia *in manibus ordinariorum dimittantur*. etſi verò verba ſequentia ſint ampliora, *ac omnia & ſingula beneficia vacatura* (*ut præmittitur*) *vel dimiſſa, Sedis Apoſtolicæ* diſpoſitioni reſerventur; equidem, ad evitandam Jurium correctionem (de qua non fit ibi mentio) & ſalvandam concordiam inter verba antecedentia, & conſequentia; ad ſolum beneficium ſecundum reſtringi convenit. Porrò in Extravaganti Benedicti XII. quæ incipit: *Ad Regimen. De Præbend. in 6. inter commun.* reſervantur plurima Pontifici beneficia. Et quidem *1mò* vacantia per Depoſitionem, Privationem; Translationem, muneris Conſecrationis ſuſpenſionem, Electionis aut Poſtulationis caſſationem, muneris renunciationem authoritate Apoſtolicâ inductam. *2dò* vacantia per obitum Cardinalium, Legatorum, & aliorum Sedis Apoſtolicæ officialium. *3tiò* vacantia per quamcúnque promotionem ad majores Dignitates v. g. Patriarchalem, Archi-Epiſcopalem, Epiſcopalem, Abbatialem, authoritate Apoſtolicâ factam, poſtquàm ſic promoti pacificam poſſeſſionem ſunt adepti. vide Ludov. Engel ad *tit. De Præbend. n. 15.*

4. *Secundò.* In præfata conſtitutione Nicolai V. ſeu in ipſis Concordatis Germaniæ; Pontifici reſervantur beneficia, quæ vacant per obitum Cardinalium. §. *placet nobis 3.* quamobrèm Epiſcopi Germaniæ, in Cardinales aſſumpti, ſpeciale indultum impetrare ſolent à Sede Apoſtolica, quatenus poſt obitum ſuum libera, quò ad Epiſcopatum inſtitui poſſit electio.

5. *Tertiò.* Reſervantur beneficia vacantia per obitum Officialiũ Sedis Apoſtolicæ, non quidem omnium, ſed in cit. Conſtitutione §. 3. expreſſorum, videl. Vice-Cancellarij, Camerarij ſeptẽ Notariorum, Auditoris literarum contradictarum, & Apoſtolici Palatij cauſarum Auditorum, Correctorum, centum & unius Scriptorum literarum Apoſtolicarum, & viginti quatuor Pœnitentiariæ præfatæ Sedis, & viginti quinque Abbreviatorum, nec non verorum commenſalium Pontificis, & aliorum viginti quatuor Capellanorum Sedis ejuſdem in Epitaphio deſcriptorum, & etiam quorumcúnque Legatorum, ſeu Collectorum ac in terris Romanæ Eccleſiæ Rectorum, ac Theſaurariorum deputatorum, ſeu miſſorum hactenus, vel deputandorum aut mittendorum impoſterum, vacantia, aut vacatura, ubicunque dictos Legatos, vel Collectores, ſeu Rectores & Theſaurarios antequam ad Romanam Curiam redierint. Rebus exui contigerit humanis. verba ſunt dictæ *Conſtit.*

6. *Quartò.* Reſervantur beneficia *quorumlibet, pro quibuscunque negotijs ad Romanam Curiam venientium, ſeu etiam recedentium ab eadem, ſi in locis à dicta Curia, ultra duas diætas legales non diſtantibus, eos mori contingat.* Huc pertinent etiam Dignitates, & beneficia quæ vacant per Depoſitionem, Privationem ac Translationem, aut Reſignationẽ authoritate Apoſtolicâ factam. Nec non beneficia eorum, qui authoritate ſeu confirmatione ejuſdem Sedis, per viam Electionis, Poſtulationis, Nominationis ad Archi-Epiſcopatus, Epiſcopatus & Regimina Monaſteriorum promoventur. Itidem beneficia eorum, qui à Papa immediatè evehuntur ad Prioratum, Dignitatem, &c. *d. §. placet nobis 3.* ubi in fine collationi Papali etiam reſervantur majores dignitates poſt Pontificales in Cathedralibus & Principales dignitates in Collegiatis Eccleſijs Hujusmodi autem majores ſeu principales dignitates apud nos ſolent eſſe Præpoſituræ dictarum Eccleſiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, ut notat Layman *Lib. 4. Theologiæ moralis. Tract. 2. cap. 11. n. 1.* in quibusdam etiam Decanatus cenſetur eſſe major dignitas. Ubi

7. Adnotabis cum Reiffenſtuel ad *tit. De præbend. §. 19. n. 551.* quòd non obſtante prædictâ reſervatione, nonnullæ Eccleſiæ Cathedrales ſpeciali privilegio Apoſtolico munitæ dicantur, vi cujus poſſint eligere Præpoſitum, proùt de Metropoli Salisburgenſi refert Pirhing. ad *eund. tit. n. 362.* De Cathedrali Auguſtana Layman. *loc. cit.* & Branden *ſuper Concordatis Germaniæ q. 12. n. 2.* De Leodienſi Laurentius Nicolarts *ad Concordata Germaniæ tit. 1. §. 12.* & Eraſmus à Choker ad *Regul. 8vam Cancellariæ n. 16.* allegans Bullam Sixti V. *de Anno 1585.* in qua Leodienſibus conceditur facultas eligendi Præpoſitum, alióſque inferiores, dummodo electio fiat intra triginta dies, à die vacationis computandos, & inſuper infra Sex menſes â die electionis numerandos, à Sede Pontificia petatur confirmatio. Cæterùm non infrequenter in Germania conferri videmus hujusmodi Præpoſituras & Decanatus, aut liberè, aut ad nominationem alterius, interdum etiam viâ electionis procedi, nullô (nî fallor) habitô privilegiô. Quocirca ſi contra Concordata Germaniæ nulla opponi poſſit præſcriptio, aut exceptio de non uſu ipſorum, ùt contendit idem P. Reiffenſt. *loc. cit. § 19. n. 541. & ſeqq.* motus clauſula irritante, appoſitâ in fine Concordatorum Germaniæ; non video, quomodò contrarium attentantes, tuti ſint in conſcientia? non debet ergo diſplicere ſententia Zypæi *lib. 3. Conſult. 3. n. 38. ad tit. De Præbend.* Patris

Patris Ludov. Engel ibid. *n.* 4. Wieſtner ibid. *n.* 71. Schmalzgrueber ibid. *n.* 257. Schmier *lib.* 1. *jurisprud. Can. Civ. Tract.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 3. §. 5. *n.* 480. aſſerentium per præſcriptionem derogari poſſe prædictis Germaniæ Concordatis. Rationes ſunt. I. quòd Præſcriptio (ſaltem longiſſimi temporis) contra Concordata Germaniæ, nullibi gentium, videatur proſcripta, ut proinde ad communem præſcriptionis Regulam confugiendum, & definiendum ſit, eandem eſſe permiſſam. II. Quòd indubiè ſum. Pontifex in Concordatis Germaniæ, quantùm in favorem proprium tendunt, diſpenſare, & Epiſcopis Germaniæ, privilegium de conferendis Dignitatibus & præbendis ſibi alioquin reſervatis, indulgere poſſit, proùt defacto conceſſiſſe docet ipſe Reiffenſtuel *loc. cit.* At quæ privilegio in alios transmittuntur, etiam præſcriptione transferuntur: ut docent DD. communiter ad *tit. De Præſcriptionibus* ergo. III. Evertendo fundamentum adverſariorum: ideò talis præſcriptio, non procederet, quia vergeret in præjudicium ſupremæ Poteſtatis Pontificiæ; at hæc ratio non ſubſiſtit, quia præſcriptio centenaria, contra Sedem Apoſtolicam eſt conceſſa ab ipſis Romanis Pontificibus per clariſſimos textus in *in cap ad audientiam* 13. *cap. cùm vobis* 14. *cap. ſi diligenti* 17. *De Præſcriptionibus*. Si igitur cum Reiffenſt. Branden, Nicolarts, Pirhing & alijs OBJICIAS: ſæpe dictæ conſtitutioni adjectum eſt decretum irritans, quo in contrarium geſta nullius roboris fore dicuntur; ergo neque titulus, neque bona fides, neque poſſeſſio, ceu neceſſariæ ad præſcribendum conditiones concurrere poſſunt. ℞. in primis in Præſcriptione immemoriali non requiri titulum, aut ſaltem neminem cogi ad probandum tituli juſtitiam, præterquàm quòd in Præſcriptione adverſus iſthæc Concordata, tam titulus, quàm cæteræ conditiones adeſſe poſſint. Cur enim quis putativum S. Pontificis Privilegium oſtendere, & illius vigore prudenter exiſtimare nequeat, ſibi competere jus beneficium aliquod Apoſtolicæ Sedi alioquin reſervatum, conferendi.

8. 5tò. Reſervantur Pontifici beneficia quæcunque vacantia in menſe Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri, & Novembri; ita tamen, ut ſi intra tres menſes à die vacationis notæ in loco beneficij, non apparuerit, quòd alicui de illo Apoſtolicâ Authoritate proviſum fuerit; ex tunc, & non anteà, Ordinarius, vel alius, ad quem illius diſpoſitio aliàs pertinet; de illo liberè diſponat. ùt habetur §. *de cæteris* 5. *d. conſtit.*

9. Cæteræ verò dignitates & beneficia quæcunque Sæcularia, & Regularia, vacatura in menſe Februario, Aprili, Junio, Auguſto, Octobri, & Decembri; vigore eorundem Concordatorum §. 4. relinquuntur liberæ diſpoſitioni eorum, ad quos eorum proviſio, præviſio, præſentatio, aut electio pertinet, ita quidem, ut excludatur, quæcunque alia Pontificis reſervatio, Gratia expectativa, vel alia diſpoſitio, ſub quacunque verborum forma Authoritate Apoſtolicâ, facta, aut facienda per text. clarum §. *placet 4.* Ubi

10, ROGABIS. Quænam beneficia ſub memorata alternativa menſium in proximè citato §. 4. comprehendantur? ℞. demptis beneficijs, utpote collationi Pontificiæ aliunde reſervatis, de quibus, *ſupra n. 3. 4. 5. 6.* in dicto §. 4. ſub alternativa menſium, comprehenduntur quælibet beneficia, & officia Eccleſiaſtica, quæ in titulum perpetuum dantur. ita Nicolarts *tit. 1. Concord. Germ. D. 1. §. 14. & ſeqq.*

11. Excipiuntur tamen aliqua beneficia etiam in titulum dari ſolita, quæ quocunque menſe vacaverint, per Collatores inferiores conferri poſſunt. Sic *1mò* Beneficia Juris Patronatûs Laicorum ex fundatione, ædificatione, aut dotatione acquiſiti, ſub memorata alternativa menſium non continentur, ac proinde Patronus Laicus, poteſt Clericum idoneum ad ea præſentare, quocúnque tempore, ſeu menſe vacaverint. Nicolarts *loc. cit. D. 5. §. 8. & ſeqq.* Barboſa *part. 3. De Offic. & Poteſt. Epiſc. Allegat. 17. n. 25. & 26.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancellariæ. Gloſſ. 18.* aliud dicendum de beneficijs Juris Patronatûs Eccleſiaſtici, cui juxta dicta, faciliùs derogatur. *2dò* ſub præfata alternativa menſium non continentur beneficia, quæ vacant per reſignationem coram Epiſcopo factam, dummodo ſint talia, quæ Epiſcopus in alijs menſibus non reſervatis, per obitum vacantia conferre potuiſſet, nec aliud quidpiam obſtet. *Ratio*; quia Collatores ordinarij aliarum Nationum, poſſunt beneficia hujusmodi reſignata, in quolibet menſe conferre, propter clauſulam in Regula Cancellariæ 8. (nunc *9.*) contentam. ergò hoc ipſum poterunt Collatores Germani, non obſtantibus Concordatis, quibus id non eſt vetitum cùm per Concordata iſta in bonum pacis & tranquillitatis concepta, Pontifex non voluerit duriorem facere conditionem Germanorum, quàm aliarum Nationum per Regulas Cancellariæ. *3tiò* ſub Concordatis Germaniæ, aut horum alternativâ menſium, imò nec ſub reſervationibus Regularum Cancellariæ comprehenduntur benefi-

cia

cia alteri acceſſoriè unita v, g, Vicariæ perpetuæ Parochialium unitarum Dignitatibus, Eccleſijs Cathedralibus, vel Collegiatis, Monaſterijs, aliíſve pijs locis, ut docent DD. cum Reiffenſtuel *loc. cit.* §. *19. n. 558.* aliud tamen eſt in beneficijs in manus Pontificis reſignatis; hæc quippe cenſentur, apud Sedem vacare, & aliunde ſunt reſervata. Aliud quóque de beneficijs, quæ coram Ordinario reſignantur ex cauſa permutationis; cùm enim in effectu non cenſeantur vacare, ſed unus ex permutantibus ſtatim in locum alterius ſubintroeat; ceſſat omnis reſervatio. Branden, Garzias & Nicolarts. apud Schmier *loc. cit. ſect. 6. §. 3.*

12. Quoniam in *cit.* §. 4. Concordatorum Germaniæ diſponitur: *Quoties verò aliquo vacante beneficio, in Januarij, Martij, Maij, Julij, Septembris, & Novembris, menſibus, ſpecialiter diſpoſitioni dictæ Sedis reſervatis non apparuerit, intra tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficij, quòd alicui de illo Apoſtolicâ Authoritate proviſum fuerit; & tunc, & non anteà, Ordinarius, vel alius, ad quem illius diſpoſitio pertinebit, de illo liberè diſponere poteſt.* Hinc

13. PETES *1mò.* Quandonam illud trimeſtre incipiat currere? ℞. non à die quommodocúnque *notæ vacationis*, ſed primùm à die *notæ vacationis in loco beneficij*, proùt expreſsè declaravit Gregorius XIII. *conſtit. ſuâ, Quæ in Eccleſiam 41.* Proinde, ſi beneficiatus moriatur in loco notabiliter diſtanti à loco beneficij, non illicò incipit currere trimeſtre illud, ſed tunc primùm, quando vacatio illa innotuit in loco beneficij taliter vacantis. Confer Engel ad *tit. de Reſcript. n. 23.* ex quo iterùm Deduces, trimeſtre illud non eſſe computandum à die, quo Pontifici innotuit hujuſmodi vacatura beneficij, alioquin ſanè, cùm plures dies ad denunciandam Pontifici, ex loco diſtanti, beneficij vacaturam, intercedere neceſsè ſit; non illicò nec ex tunc poſt elapſum trimeſtre collator Ordinarius illud conferre poſſet; quod tamen poteſt juxta *text. cit. in* §. 4.

14. PETES *2dò.* Quid ſentiendum, ſi Pontifex intra illud trimeſtre alicui contulerit beneficium, & quia intra hoc ſpatium de proviſione Apoſtolica non conſtabat, ſtatim evoluto illo tempore Collator Ordinarius inferior quoque diſpoſuerit de eodem beneficio? ℞. Tametſi Ordinarius lapsô trimeſtri, & quidem primo ſtatim die, poſt ejus lapſum, beneficium ejuſmodi conferre queat; non tamen ita; ut eum, cui interea durante illo trimeſtri per Sedem Apoſtolicam proviſum fuit, excludat, ſed conditionatè; *ſi interea non*

ſit

ſit de illo per Pontificem diſpoſitum. Nam Gregorius XIII. ad removendas lites, & dubia in *cit. Conſtitutione 41.* declaravit, verba illa *notæ vacationis in loco beneficij* ita accipienda eſſe; ut diſpoſitio beneficij intra tres menſes à die notæ vacationis, à Sede Apoſtolica fieri, deque gratia facta alicubi apparere debeat, ſive dein appareat in loco vacantis beneficij, ſive Romæ, aut in loco, ubi exiſtit Pontifex. Voluit equidem Pontifex ibidem, ut taliter proviſi de Beneficijs, intra tres illos menſes conceſſionem ſibi factam, Collatoribus Ordinarijs ſignificare, vel in ipſo beneficij loco publicare teneantur. Quod rursùm intellige, dummodò intra illud tempus inſinuatio aut publicatio commodè fieri poſſit. Engel *loc. cit. n. 23.* Pirhing *ad tit. de præbend. n. 363.* Georg. Branden. & Nicolarts apud Reiffenſtuel *loc. cit. n. 567.* vide P. Schmier *lib. 3. Tract. 1. part. 2. cap. 3. ſect. 6. §. 2. n. 259. & ſeqq.*

15. PETES *3tiò.* An prædictum trimeſtre ſit continuum, & completum de momento in momentum computandum? ℞. Reiffenſt. *loc. cit. n. 562. Affirmativè.* Tum quia omne tempus currit regulariter de momento in momentum, ubi aliud à Jure non exprimitur. Tum quia ita deciſum à *Rota* in *una Auguſtiana-Canoncatus. 12. Jan. 1703.*

16. Indagandum reſtat, quandónam incipiat, aut terminetur menſis Papalis, aut menſis Ordinarij inferioris ad effectum collationis? ℞. ſecundùm praxin totius Evropæ, menſis incipit à media nocte primæ diei, & terminatur mediâ nocte ultimæ diei. Proinde S. Pontifex confert beneficia, quæ incipiunt vacare à media nocte primæ Januarij, uſque ad diem 31. ejuſdem menſis ad mediam noctem, quæ apud nos eſt hora 12: & poſt horam 12. dum incipit prima dies menſis Februarij, incipit menſis Februarij, incipit menſis Collatoris Ordinarij: ita Garzias. *De benef. p. 5. cap. 1. n. 523. & ſeqq.* Gonzalez *ad Regul. 8. Cancel. Gloſſa 11. d. n. 9.* Engel *ad tit. De præbend. n. 25.* Nicolarts *ad Concord. Germ. tit. 1. Dub. 12. §. 2.* nec opus eſt, ut ſi horâ 12. audiatur *1mus* pulſus horologij, ultimus ictus exſpectetur, quoniam primus ictus denotat horam *12mam* præcedentis diei jam fore completam, & proximam horam primam ſequentis diei jam inchoatam eſſe.

17. Alia eſt Quæſtio, num per concordata Germaniæ fuerit abrogatum *cap. ſtatutum 3. De præbend. in 6.* in quo Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi, generaliter concedit Ordinarijs Collatoribus licentiam, beneficia in Curia Vacantia, & propterea Pontifici reſervata,

vata,

vata, poſt ſpatium unius menſis â die vacaturæ conferendi? Affirmant aliqui apud Engel *ad tit. De præbend. n. 152.* ſed negant plurimi cum eodem, cui adhærent Wagnereck *ad cit. cap. ſtatutum.* Nicolarts ad Concordata *tit. 1. Dub. 11.* §. *4.* Schmier *loc. cit.* §. 2. *n. 256. pag. mihi 406.* Reiffenſtuel *ad tit. De Præbend. n. 439.* & noviſſimè P. Greneck *ibid. n. 64.* Ratio eſt, quia trimeſtre per Concordata præſcriptum, ſpectat ſolùm beneficia alternativæ obnoxia, & in menſe Apoſtolico vacantia in Germania, non autem ea, quæ in Curia ipſa vacant, & quibus tempus conferendi per *cit. cap. 3.* ſpecialiter eſt præfinitum, cui in Concordatis nullibi expreſsè derogatur: Schmaltzgrueb. *ad tit. De præbend. n. 323.* tum etiam, quia motivum Gregorij X. poſt Concordata manet idem, nè alioquin beneficia Eccleſiaſtica (fortè ob ignorantiam ſubjectorum qualificatorum, quibus ea per Papam conferenda forent) diutiùs vacarent, & carentes legitimo adminiſtratore, in ſpiritualibus, ac temporalibus rebus, interim paterentur detrimentum. Quare autem per Concordata, beneficia in menſe Apoſtolico vacantia, & ideò reſervata, ab Ordinarijs poſt lapſum trium menſium priùs conferri poſſint. *Ratio eſt:* quòd beneficia apud Sedem, & in Curia vacantia faciliùs innoteſcant ſummo Pontifici, quàm vacantia, & reſervata ſolùm ob menſes Papales, in quibus ideò longius tempus, quàm in illis, ad faciendam collationem ab Ordinarijs, præfixum. Hic

18. Nota, quòd præfatus menſis fuerit determinatus in favorem Eccleſiarum, ne videl. diutiùs vacarent, non verò in odium, ſive ob negligentiam Papæ omittentis conferre beneficium vacans. Unde, ſi toto hoc menſe, Papa neſciret vacare beneficium aliquod apud Sedem ſuam, nihilominùs elapsô illô poſſet collator inferior iſtud conferre.

19. DICES: *Per cap. licet 3. De ſupplend. negligent. Prælat.* & *cap. 2. 2. De Conceſſione præbend.* Tempus ſemeſtre, quod de Jure conceſſum eſt Collatoribus inferioribus, non à tempore *vacationis* ſed *notitiæ* computandum eſt. ergo idem eſt de menſe, in præſenti caſu R. *N. conſeq. Diſp. eſt.* quòd ibi tempus Semeſtre principaliter ſit præfixum in odium conferre negligentium. Unde meritò ignoranti (qui deſidiæ aut negligentiæ argui non poteſt) non currit. Secùs in caſu præſenti, ubi tempus unius menſis, non in odium Papæ, ſeu ad puniendam ejus negligentiam, ſed (ut dictum) ob favorem Eccleſia-

rum, definitum. & quid? nonnè Papa ſi voluiſſet, potuiſſet expreſſiſſe tempus *notitiæ*, tam bene, quàm *vacationis*?

20 Cæterùm, præfata reſtrictio ad unum menſem, non omninò excludit Papam, quò minùs poſt illud tempus 30. ſcil. dierum, poſſit conferre beneficium vacans apud Sedem ſuam, dummodò res ſit integra, hoc eſt dummodò beneficium illud necdum per inferiorem fuerit alicui collatum. Barboſa *in Collectan. ad cit. cap. ſtatutum n. 7. De Præbend. in 6.* qui ibidem notat, dicta de lapſu unius menſis, procedere ſolummodò de beneficijs, apud Sedem Apoſtolicam vacantibus, non autem alio modo, ſive ex alia cauſa, reſervatis collationi Papæ: hæc enim quocunque tempore poſſunt à Papa conferri, cùm ipſi nullum à Jure tempus reperiatur præfixum. Confer Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell.* §. *5. n. 143.* Garziam *De Beneficijs part. 5. cap.* 1. *n. 97.* quamobrèm nullo unquam tempore collator inferior ſe ingerere poteſt ad conferenda alia beneficia Papæ reſervata, niſi id in Jure reperiatur indultum, prout ultrà caſum relatum *in cap. ſtatutum* expreſsè conceſſum in his duobus caſibus. *1mus* eſt. Quandò Sede Apoſtolicâ vacante, contingit vacare Eccleſias aliquas Parochiales: tunc enim nè diuturna ipſarum vacatio, periculum valeat animabus adferre; conceſſum eſt Collatoribus Ordinarijs, eaſdem conferre; per textum clarum in *cap. 35. De Præbend. in 6.* *2dus caſus* eſt, quandò eædem Parochiales Eccleſiæ vacant, vivente Papâ, ſed is ante obitum ſuum nihil de his ordinârit Tunc enim quóque poſt mortem ejus, ſtatim per Collatorem inferiorem conferri poſſunt, etiam necdum elapſo primo menſe. *textus* & *Gloſſa fin. in cit. cap. 35.* Reiffenſt. *loc. tit.* §. *15. n. 444.* Si

21. PERQUIRAS. An idem ſit de alijs beneficijs non curatis, v. g. Canonicatibus? an ſi Sede vacante, eorum vacatura contingat in menſe Papali, cenſeantur quoque reſervata? Affirmant Barboſa *De Offic. & Poteſt. Epiſc. alleg. 57. n. 62.* negat P. Engel *ad tit. De præbend. n. 49.* Schmier *loc. cit.* §. *2. pag. mihi 405.* *Ratio* negantium eſt, quia beneficia in Regulis Cancellariæ reſervata, ante Concordata non credebantur reſervata, quando videl. poſt obitum S. Pontificis inceperunt vacare. ergo nec reſervata creduntur poſt illius obitum; partim quia Concordata jus conferendi beneficia, quod habebant Collatores Germaniæ non effecerunt deterius ſed melius: Partim quia ex teſtimonio aliorum DD. Ordinarij extra Germaniam, ubi alia vigent pacta, conferunt beneficia, Sede Papali vacante, vacantia.

tia. vide Card. De Luca *De Benef. Diſc. 27. n. 4.* Chokier *ad Regul. 8. Cancellariæ Gloſſ. 11. n. 11.*

22. Præter reſervationes beneficiorum hactenùs recenſitas, producitur in §. 5. Concordatorum, ſeu *conſtit.* Nicolai V. adhuc una valdè notabilis, non quidem beneficij, ſed cæterorum fructuum reſervatio, per modum penſionis ſolvendorum Sedi Apoſtolicæ, quæ penſio vulgò vocitatur *Annata*; de quarum origine, uſu, & æquitate multa congeſſit Nicolarts in ſæpè *dict. tract. De Concord. tit. 2. Dub. unic. §. 1.*

23. Quid igitur ſunt *Annatæ*, & quomodò præſtandæ in Germania? ℟. *Annatæ* ſunt certæ penſiones, ſeu quantitas pecuniæ, quæ de Epiſcopatuum, aliarúmque Dignitatum & beneficiorum Sedi Apoſtolicæ reſervatorum primi anni fructibus Cameræ Apoſtolicæ perſolvenda eſt, tum ad ſubveniendum neceſſitatibus S. R. Eccleſiæ, & ſuſtentandos Cardinales indigentes, ac Officiales Curiæ. Tum præſertim in recognitionem ſupremæ Poteſtatis Pontificiæ: Hujusmodi autem *Annatæ* integræ perſolvendæ ſunt juxta *cit. §. 5.* in Germania, tantùm de Archi-Epiſcopatibus, Epiſcopatibus, & alijs Prælaturis principalioribus, pro rata fructuum primi anni, juxta taxam in Camera Apoſtolica plerúmque jam determinatam: non tamen tota ſumma ſimul & ſemel, ſed ex dimidia parte ſolvenda eſt intra annum, à die, quo novus Prælatus pacificam poſſeſſionem totius vel majoris partis Eccleſiæ adeptus eſt, & pro altera dimidia parte intra annum ſequentem. Quòd ſi autem contingat eandem Eccleſiam intra annum bis vacare; taxa tantùm ſemel debetur, nec debitum hujusmodi in Succeſſorem in Eccleſia, vel Monaſterio virorum exempto, tranſit. Quòd ſi etiam prædictæ *Annatæ* exceſſivè taxatæ ſint; moderandæ erunt, ſecundùm qualitatem rerum, temporum & Regionum. De cæteris verò dignitatibus, perſonatibus, beneficijs tam Sæcularibus, quàm Regularibus quibuscúnque, quæ Authoritate Sedis Apoſtolicæ conferuntur (præterquàm vigore gratiarum expectativarum, aut causâ permutationis, quibus nullum onus eſt impoſitum) non veniunt *Annatæ* integræ, ſed tantùm medij fructus unius anni, juxta taxam Cameræ, quæ plerúmque ita moderata eſt, ut quintam partem annuorum fructuum vix excedat. Quin imò de beneficijs, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri non excedunt nihil planè pendendum eſt. Ubi obſerva cum Georgio Branden, Nicolarts, & alijs apud Reiffenſt. ad *tit. ut Eccleſ. Beneficia*

ſine, &c. §. 1. *n.* 20. Quòd hodie ex generali conſvetudine & ſtylo Curiæ Romanæ inoleverit, ut omnes Canonicatus & Præbendæ ac ac Dignitates inferiores, Germaniæ, Hiſpaniæ, & Belgij, ſub expreſſione illius taxæ Cameralis viginti quatuor florenorum auri, ſive ducatorum impetrentur, ideóque nullæ ſolvantur *Annatæ*, ita ut etiam ſatisfiat *Regulæ 55. Cancellariæ*; de exprimendo valore beneficiorum in impetrationibus: ſi in impetratione talium beneficiorum exprimatur, quòd non excedant valorem viginti quatuor florenorum auri. Ex hactenùs dictis, facilè

24. CONCLUDITUR *1.* Quòd obligatio prædictorum Concordatorum ultra Germaniam ſe ſe non extendat, quia obligatio iſtius pacti eſt perſonalis, paciſcentes non egrediens, quod adeò verum, ut etiamſi populi aliqui Germanorum nomine veniant, ſi tamen Imperij Germanici finibus non concludantur, nec tempore Concordatorum, cum imperio initorum, communionem habuerint, Concordatis non adſtringantur. vide Schmalzgrueber *cit. tit. De præbend. & Dignit. n.* 265. *& ſeqq.*

25. CONCLUDITUR *2dò.* Pontificem ſaltem de ordinaria poteſtate, & abſque gravi & urgenti cauſa publica non poſſe Concordatis hiſce derogare. Tum quia non ſunt mera Gratia, ſed pactio vera & promiſſio Pontificis, inducens obligationem Juris naturalis. Tum denique; quia ijs expreſsè adjecta eſt clauſula *in* §. *6.* in fine, de non revocando, niſi per Concilium generale futurum, cum conſenſu Nationis Germanicæ.

SECTIO QUINTA

DE

Jure humano profano, ſeu Civili.

§. PRIMUS.

Quid & quotuplex ſit Jus Civile?

JUs Civile generatim eſt, quod authoritate Principis ſive Magiſtratûs ſæcularis, ad tranquillam Reipublicæ gubernationem, & communem Civium ſalutem conſervandam conſtitutum eſt.

2. Miſſis alijs diviſionibus, præcipuè dividitur in jus publicum & prive-

privatum. Ut colligitur ex *l. 1. §. hujus ſtudij. ff. de juſt. & jur.* & *§. fin. Inſtit. eod.* ubi dicitur: *Hujus ſtudij duæ ſunt poſitiones* id eſt ſpecies, *publicum, & privatum.* Exactè definitur jus publicum, quòd ſit ordinatio rationis, immediatè & principaliter in bonum commune, ac publicum totius imperij, ab ejuſdem ſupremo Capite promulgata. Per *tò ordinatio rationis*: indigitatur, jus veras complecti leges in recta ratione fundatas, & meritò reduci ad jus naturæ & Gentium. Per *ly immediatè & principaliter, &c.* intimè & unicè diſtingvitur ab omni alio Jure ſibi affinitate juncto. Tametſi enim omne jus legale feratur in bonum commune, equidem immediatè in totius populi collectivè ſumpti, ſeu totius Imperij utilitatem, ſolum jus publicum ordinatur; ſiquidem quæ lege publicâ ſanciuntur, in executione primò in utilitatem publicam redundant, & per conſequentiam duntaxat ad ſingulos diffluunt; quæ verò alia lege ſtatuuntur, in executione priùs ad ſingulos, deindè ad totam Rempubl. ex conſequenti dimanant; per *tò, ſupremo capite promulgata.* Cauſa efficiens denotatur. Quemadmodùm enim quævis lex ab eo, qui curam Communitatis habet egreditur, ita lex publica Imperij nequit alteri, quàm ſupremo Imperij Capiti, natales ſuos adſcribere. Quocirca Imperator Romano-Germanicus eſt cauſa principalis Juris publici, in Imperio; qui ùtùt ex ordinatione Pacis Monaſterienſis *art. 8. §. gaudeant.* Procerum Imperij Conſilium & ſuffragium prærequirere teneatur, nihilominùs Imperialis culminis authoritate, ſolus leges conceptas promulgat, uti patet ex formulis omnium ferè Receſſuum Imperij.

3. Jus Publicum conſiſtit in tribus, videl. in *Sacris*, v. g. Eccleſijs DEO dicatis. in *Sacerdotibus* & in *Magiſtratibus. l. 1. §. huius ſtudij ff. de juſt. & jur.* ſiquidem hæres vel perſonæ principaliter ad ſtatum totius Reipublicæ pertinent. Nam per Magiſtratus, aliáſque perſonas publicas, ipſamet Respubl. gubernari & regi debet; & hinc conſtituuntur Præfecti, Prætores, Conſules, &c. ut Juri dicundo præſint. Eccleſiæ quoque DEO dicatæ, ſicut & aliæ res Sacræ, atque Sacerdotum miniſteria, principaliter ordinantur ad hoc, ut ijs mediantibus à tota Republica debitus DEO cultus jugiter perſolvatur, & ſic ſalus populi conſervetur; *Gens enim*, ùt Iſaias Propheta vaticinatur, *cap. 60. & Regnum, quòd non ſervierit tibi, peribit.* Quin & plus Eccleſiæ orationibus, quàm auxilio militari conſiſtere Imperium, ipſimet ultrò fatentur Imperatores, *ſcientes magis Religionibus, quàm offi-*

cijs & labore corporis, vel ſudore, Rempublicam contineri. Can. in qualibet. cauſ. 23. q. 8.

4. Cæterùm jus Civile publicum à modernis Juris Interpretibus, ſubdividitur in *commune* ſeu *antiquum*, de quo in Digeſtis. Codice, Novellis, atque Hiſtorijs Romanorum; & in *ſpeciale* ſeu *hodiernum*, quod poſt Translationem Romani Imperij, in Germanos, authoritate Sedis Apoſtolicæ, factam in perſonam Caroli Magni, ùt habetur *cap. Venerabilem 34. de Elect.* obſervari cœpit, atque conſiſtit in moderni Romano-Germanici Imperij Conſtitutionibus: ùt puta, *Bulla aurea* Caroli IV. *Inſtrumento pacis Monaſterienſis. Capitulantibus Imperatorijs*, aliíſque *Imperij Receſſibus.* de quibus Publiciſtæ.

5. Porrò *jus privatum* è contra dicitur illud, quod immediatè & principaliter ſingulorum privatam reſpicit utilitatem, ùt videre eſt in legibus Contractuum. Vindicationibus injuriarum, Tutelis, Teſtamentis, & hujusmodi; talia ſiquidem principaliter attinent commoda hominum privatorum, & concernunt privatas res familiares Civium, quamvis horum proſperitas ſecundariò, & per quandam ſequelam redundet etiam in bonum univerſalis Reipublicæ. Confer Hoppium & Schambogen *ad* §. 4. *Inſtit. de juſtit. & jur.* De compilatione, partibus & authoritate Juris Civilis tractant Zoës. Perez & alij *ad Proëm Inſtit.* De differentijs Juris Civilis & Canonici diſſerit. Caniſius, & noviſſimè Reiffenſtuel. *in proëm. ad* Jus Canonicum §. XI. De concordia & confœderatione utriúsque Juris ibid. Reiffenſtuel §. XII. & XIII.

§. II.

Quinam legibus publicis obſtringantur?

6. QUòd legibus publicis omnes Imperij ſtatus ac ſubditi tam immediati, quàm mediati obligentur, ſat manifeſtum eſt ex Receſſu Imperij De *Anno 1654.* §. 6. ibi: Setzen demnach, wollen und gebieten allen und jeden, Hohen und Niedrigen, Geiſtlichen und Weltlichen, ohn- und mittelbahren, ſie ſeyen Stand deß Reichs oder nicht, &c. ita tamen, ut Status immediati, immediatè, mediati verò mediantibus Principibus & Dominis territorialibus, per quos repræſentantur; obligentur. Ubi vides, nè Eccleſiaſticos Imperij ſtatus, legibus Imperij ſolutos eſſe, non obſtantibus ijs quæ intra §. 4. dicemus. Cùm enim ab Imperatore & Imperio, integras, Provincias, Regiones, Principatus Comitatus, &c. in feudum acceperint; Jurisdictionem

Impe-

Imperatoris & Imperij, legéſque publicas ſubterfugere non poſſunt. *arg. cap. cæterùm 5. de judicijs. cap. ex transmiſſa 6. & ſeq. de foro compet.*

7. DUBITARI poteſt: An & ipſe Imperator Imperij legibus ſubjectus ſit? ſed facilè ſolvitur quæſtio, & ex dictis concluditur, Imperatorem per ſe loquendo, legibus Imperij publicis non teneri vi coactivâ, bene vi directivâ, aut etiam ex pacto, aut Juramento.

8. *Ratio 1. p. eſt.* quia Imperator, aut eſt defactò verus Monarcha (quod verius eſt) aut ſaltèm eſt ſummus Princeps & Caput Imperij, quia in actibus ſcriptíſve tum publicis, tum privatis, tum à toto Imperio, tum à membris ſingulis, titulo Majeſtatis, ſummi Capitis & Principis honoratur. Deficit proindè ex parte Imperij Jurisdictio, ex parte verò Cæſaris ſubjectio, ratione cujus juſtitiæ vindicativæ ſeveritatem & vim coactivam experiri poſſet. Nec

9. OBEST, quod per *Aur. Bull. cap. 5. §. fin.* Sereniſſimo Electori Comiti Palatino Rheni prærogativa judicaturæ Cæſareæ ex antiqua conſvetudine adſtruatur; virtute cujus in cauſa Imperatoris, Rei partes ſuſtinentis, judicem agere valeat. Etenim hæc judicatura non tam Authoritatis publicæ, quàm privati arbitrij eſt, dum Imperator, qui Camerali aut Imperiali judicio haud ſubjacet, nolens in cauſis proprijs judicium per ſe exercere, Palatinum quaſi arbitrum Juris delegit, nè cauſæ ſuæ diffidere, vel Majeſtatis pondere alium opprimere videatur; vide Vitriar *lib. 3. tit. 12. §. 16.* ſic & olim Galliæ Reges patiebantur ſibi jus dici à Parlamento, quanquam proceſſus non inſtituebatur adverſûs ipſum Regem, ſed ejus ablegatum, & Rex interdum causâ cadebat teſte Limnæo *ad Capitul. Caroli V. pag 83.* hodie tamen hæc judicandi facultas Parlamento adempta eſt. Sic & Rex Hiſpaniæ coram Ordinibus convenitur, & olim in Parlamento Belgico cauſam contra ſe agi patiebatur. Rex Daniæ coram univerſo Regni Senatu, Duces Saxoniæ coram Curia Jenenſi, vide notata in Vitriarium.

10. Obſerva tamen, quòd Imperator ſolùm in civilibus cauſis coram Palatino conveniri poſſit, nam in Criminalibus nullum agnoſcit judicem, quia non præſumitur Princeps coërcitioni & cenſuræ ſubditorum ſe ſubmittere voluiſſe. vide Vitriar. *loc. cit. §. 17.* & ibidem notata.

11. *Ratio*

11. *Ratio 2. p.* in æquitate conſiſtit, maximè enim congruit, ùt quis patiatur legem, quam ipſe tulit. vide dicta *Sect. 3. § 2. pag. 35.* ut rectè Plato dixerit, *lib. 4. de LL.* interitum parari illi Civitati, in qua non lex Magiſtratibus, ſed Magiſtratus legibus dominantur.

12. *2tia pars* conſtat ex Receſſibus Imperij, & Capitulationibus Cæſareis, quibus generali promiſſione, & juratâ ſponſione ante Coronationem, omnes Imperij leges ſeſe ſervaturum Imperator pollicetur. Sed

13. Controverſia, moveri poſſet. An Imperator poſſit in caſu extremæ neceſſitatis, vel maximæ utilitatis, ea mutare, quæ ſuâ Capitulatione, & aliàs ſervare promiſit? ℞. Dato tam urgenti caſu, quo cum Ordinibus univerſis, vel ſaltem Electorali Collegio, deſuper brevi manu conferre non poſſet, & præſentiſſima ſeſe offerret occaſio recuperandi quidpiam eorum, quæ Imperio hactenùs iniquè ſubtracta ſunt, quæ quidem occaſio elaberetur, priusquàm conſenſus ſtatuum Imperij poſſet haberi; humanior & æquior videtur opinio, quòd tali eventu Imperator ſtudium augendi Imperium ipſo actu conteſtando, indubitatum ſtatuum conſenſum antevertere poſſit. *Ratio*: quia Electorum conſenſus ideò requiritur, ut in negotijs dubijs ſecuriùs procedatur. & bono Imperij tutiùs proſpiciatur. ergo dato caſu, ubi ſingularis & evidens Imperij utilitas manibus & oculis oblata eſſet; non eſt, cur in tanta temporis auguſtia conſenſum expreſſum Electorum exſpectare teneatur?

§. III.

An & à quo Imperator jus primariarum precum habeat, & an id in terris Proteſtantium poſſit exercere? ubi & de alijs huc ſpectantibus.

14. IMperatori Neo-Electo ex authoritate Apoſtolica, & antiquiſſima conſvetudine, concedi ſolet ſpeciale indultum, ut in qualibet Eccleſia per S Romanum Imperium, proùt nunc exiſtit, ubicunque conſtitutâ, ſemel perſonam ſibi gratam & dilectam, cæteroquin tamen idoneam, Collatori Ordinario nominare poſſit, quam is ad beneficium vacans, ſine tergiverſatione recipere teneatur & hoc eſt *jus primariarum precum Imperatoris* de quo eſt ſermo.

15. Vitriarius *lib. 3. Inſtit. jur. publ. tit 6. §. 9.* quia juravit in verba Magiſtri, nihil non à Romano Pontifice, profectum nauſeans, contendit hoc jus Cæſareum non niti ſolis Papalibus conceſſionibus, cùm Cæſares (inquit) hoc Jure ante plurima ſæcula fuerint uſi, non agnoſcentes, hoc eſſe donum aliquod Papale. Aſt jejuna hæc ſunt verba, ſtomachum Lutheranum turpiter olentia. Quis amabò tam hiſpidi ſit ingenij, ut vel ſuſpicari poſſit, hoc jus merè ſpirituale & Eccleſiaſticum, Cæſareæ Majeſtati agnatum, aut non à Pontificiæ Sedis Sanctitate in Chriſtianiſſimos Imperatores ſingulari beneficio derivatum eſſe? ſanè id liquidò conſtat ex indulto per Paulum V. Ferdinando II. Romanorum Regi in Imperatorem electo, *Anno 1620 pridie nonas Junij* conceſſo; quod per extenſum refert, & ſcholis illuſtravit Joannes à Chokier *in tract. ſcholia in primarias preces Imperatoris.* Item ex conſimili conceſſione facta per Innocentium X. Ferdinando III. ubi Pontifex diſertè dicit preces has primarias *ab Apoſtolica Sede concedi, indulgeri, &c.* Scio quidem te perfrictè aſſerere, juriſdictionem Eccleſiaſticam ab Imperatore in Pontificem defluxiſſe; ſed ſcio etiam te nullibi id probare, & riſum potius æquanimi Lectori movere, quàm perſvadere dictione. Relegantur ea quæ §. *6. n. 60.* dicta.

16. An Imperator hoc Jure in terris Proteſtantium, intra Imperij tamen fines, uti poſſit Quæritur? *videt* Author Notar. ad Vitriarium ad *V. debeantur.* in inſtrumento *Pacis Oſnabrug. art. 5. §. 5.* diſpoſitum eſſe, quomodo Imperator hoc Jure uti debeat, nimirum, ut in terris Proteſtantium *Evangelicæ Religionis*, CANONICUM conſtituat, in terris verò Pontificiæ Religionis Catholicum. Verùm, ùt ùt ita ſit, indè haud ſequitur, hoc jus primariarum precum à Pontifice originem ſuam non habere, planè ſicut indè non ſequitur Evangelicam Proteſtantium Religionem à verò Evangelio non defeciſſe, aut Canonicos Lutheranos, non eſſe ſimias Sacerdotum & Clericorum Eccleſiæ Romano-Catholicæ.

17. Cæterùm virtute memorati indulti Apoſtolici poteſt Imperator in omnibus Eccleſijs intra ambitum Imperij Romano-Germanici, prout nunc eſt, conſiſtentibus, etiam Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, & quibuscunque alijs, primas preces, ſeu nominationes, de perſonis idoneis elargiri, quas Ordinarij Collatores vel Collatrices omnino recipere, atque nominatos ad vacantia Beneficia admittere tenentur: ita tamen, ut idem Collator ſeu Collatrix, non niſi, ſemel, id eſt, pro unico tantùm beneficio gravetur; ut pa-

X tet

precum expreſsè derogatur per verba formulæ: *non obſtantibus - - - Concordatis Nationis Germanicæ ac eorundem concordatorum confirmatione.*

24. Quoniam in memorato indulto Apoſtolico ſalubriter cavetur, ut, *quàm primùm perſona ſic nominata de aliquo beneficio proviſa fuerit, ejus nominatio quò ad alios Collatores vel Collatrices facta, ipſo Jure exſpiret.*

OBSERVABIS, quòd etſi Imperator eandem perſonam, porrectis primis precibus, poſſit nominare ad plura beneficia, ut nominato eò citiùs & certiùs proſpiciatur; equidem, quàm primùm ejusmodi perſona aliquod horum beneficiorum conſecuta fuerit, ceſſet nominatio ipſius, quò ad alia beneficia; ex quo tamen rursùm non ſequitur, quòd poſt aſſecutionem prioris beneficij conſumptámque priorem gratiam, ſeu nominationem non poſſint eidem Preciſtæ per Imperatorem novæ preces ad aliud beneficium concedi: tum quia per hoc nulli generatur præjudicium, eò quòd quælibet Eccleſia vel Collator, non niſi *ſemel* per interpoſitionem precum hujusmodi gravari poſſit; tum quia vel poſterius beneficium eſt compatibile cum priori, & tunc Preciſta poteſt utrúmque ſimul retinere. Vel eſt incompatibile, & tunc per illius pacificam aſſecutionem, prius beneficium ipſo Jure vacat. *arg. cap. de multa 28. de Præbend. & dignit.* Sícque rursùs nullum ſequitur inconveniens, ſed tantùm ſubvenitur Preciſtæ per pinguius, aut ſibi magìs congruens beneficium. Chokier *loc. cit. ſect. 3. ℣. ita tamen quod, &c.* citans *Rotæ deciſionem 738.* apud Cardinalem Seraphinum.

25. Prætereundum haud eſt, quòd (ut preces primariæ Imperatoris ſuum ſortiantur effectum) Preciſta intra menſem, poſtquàm ipſi vacatio oblati beneficij innotuerit, per ſe vel per Procuratorem ad id ſpeciale mandatum habentem ejuſmodi beneficium acceptare, & ante elapſum menſem, Collatori Ordinario v. g. Epiſcopo vel Capitulo Capitulariter congregato, teneatur inſinuare Reſcriptum precum Imperatoriarum; id quod patet ex tenore indulti Apoſtolici & obſervant Chokier *in preces Primarias. ſect. 4. ℣. intra menſem* & *℣. duxerint acceptanda.* Pirhing. *ad tit. de Præbend. & Dignit. n. 377.* & *Ratio* eſt, quia diutina Eccleſiarum vacatio ſolet eſſe diſpendioſa. *cap. quàm ſit Eccleſijs. de Elect. in 6.*

26. Incipit itáque menſis iſte ad acceptandum beneficium datus currere à die, quo ipſi Preciſtæ innotuit vacatio ejuſdem beneficij, cenſe-

cenſetur autem ipſi innotuiſſe à tempore vacationis jam notoriæ in loco, vel Eccleſia beneficij vacantis, ut ſibi imputare debeat, ſi in hoc caſu, quo de ipſius commodo agitur, id quod per ſe, vel per alium ſcire poterat, ignoraverit, juxta textum notabilem *in Clement. un. §. fin. de Conceſſ. Præbend.* Excipe tamen niſi Preciſta juſtam ignorantiæ cauſam probaret; ùt puta, quia peregrè profectus ob negotia publica, aut alias urgentia. Vel quia Procurator quem habebat in loco beneficij, intereà mortuus fuerat, &c. *Gloſſ. in cit. Clement. unic. ℣. nota erit*; Chokier & Pirhing *loc. cit.*

27. Alioquin elapſo menſe, & nullâ factâ inſinuatione hujusmodi precum, Collator ordinarius poteſt liberè conferre beneficium vacans, cùm à nemine impediatur. Quòd ſi tamen non contulerit, tunc re integrâ poterit Preciſta etiam poſt menſem inſinuando preces Imperatorias, acceptare beneficium, id quòd licet Jure communi non poſſet, cùm forma & limites mandati exactè ſint obſervanda: quia tamen in ſæpe memorato indulto habetur clauſula: *non obſtantibus - - - de inſinuatione publicatione, & diligentijs per acceptantes deſuper faciendis* ideò remiſſa cenſetur obligatio, inſinuandi publicandi, & diligentiam de inſinuatione acceptationis faciendi, quamdiu res adhuc eſt integra, id eſt quamdiu ordinarius Collator nemini contulit beneficium iſtud vacans. Chokier *loc. cit. ℣. intra menſem.* Si

28. QUÆRAS. Num Preciſta poſt acceptatum ſemel beneficium, poſſit variare, & ab illa acceptatione tacitè vel etiam expreſsè reſiliendo, petere ſecundum beneficium vacans nulli adhuc debitum? ℞. *Negat.* quia Jura improbant variationem, & animi inconſtantiam *l. ſervi electione §. 1 ff. de legatis 1.* & *Reg. 21. jur. in 6. Quod ſemel placuit ampliùs diſplicere non poteſt.* quin & *per cap. ſi Clericus 11. §. 1. de Præbend. in 6.* quando Clericus cui mandabatur provideri de Præbenda primò vacatura, negligit eam ſibi debitam petere, aliam poſtmodùm prætextu ejuſdem mandati petere nequibit, *cùm* (ùt ait Pontifex) *facta ei gratia, per ipſius negligentiam ſit extincta.* Per clauſulam igitur indulti Pontificij: *duxerit acceptanda*; tribuitur quidem Preciſtæ, facultas acceptandi primum beneficium vacans, ſi velit, atque illud acceptandum duxerit; aut etiam exſpectandi ſecundum vacaturum, & illud acceptandi, aut ſi nec illud appetat, exſpectandi & acceptandi tertium, & ſic de cæteris; Non verò per iſtam clauſulam datur ipſi libertas variandi, poſtquam ſemel primum vacans bene-

 ficium,

in agendis præſcribendo, ſpecificè diſponunt de Eccleſijs, ac perſonis Eccleſiaſticis, in harum præjudicium, *cap. quæ in Eccleſiarum 7. de Conſtit.* aut contra libertatem ſeu immunitatem Eccleſiaſticam; per clarum *textum in cap. fin. de reb. Eccleſ. non alien.* ubi hujusmodi conſtitutio Laicæ poteſtatis, nedum à Concilio Lateranenſi decernitur non valere, pœnâ excommunicationis in præſumentes contrarium attentare conſtitutâ; Verùm & additur, quòd illa non *conſtitutio ſed deſtitutio, vel deſtructio dici poſſit, nec non uſurpatio jurisdictionis*, quod ipſum liquet *ex cap. nimis. de jurejur.* & *cap. quanquam. de cenſib. in 6.* quin imò poſita reſolutio obtinet quóque in illis legibus & ſtatutis ſæcularium, quæ ſpecificè & nominatim diſponunt de Eccleſijs & perſonis Eccleſiaſticis, etiam in illarum commodum, & favorem, per textum evidentem, *in cap. quæ in Eccleſiarum. 10. de Conſtit.* ubi ſtatutum Baſilij de non alienandis prædijs ruſticis vel urbanis, Miniſterijs & ornamentis Eccleſiarum, reprobatur, ex potiſſima ratione, quòd non fuerit authoritate Romani Pontificis roboratum, ſed conditum ſinè jurisdictione, & erga non ſubditum. Conſonat *Can. bene quidem. Diſt. 96.* & ideò *dixi* in *concl. niſi approbentur ab Eccleſia.* Nam Pontifex approbatione ſua illis authoritatem ſuam impertitur, ac proinde non obligabunt ex vi ſæcularis poteſtatis, ſed Eccleſiaſticæ.

35. DICO 2. Si leges Civiles expreſsè non diſponant de Eccleſijs, Clericis, horúmque bonis, ſed ob publicam neceſſitatem vel utilitatem communiter quidpiam ſtatuant, quod neutiquam repugnet ſtatui Clericali, aut immunitati Eccleſiaſticæ, tunc ijſdem etiam obligantur Clerici, quò ad vim directivam, licet non coactivam. Card. de Luca. *Tom. 1. diſcurſ. 8. n 6.* Bellarm. *lib. 1. de Clericis. cap. 28.* Covarruv *pract. qq. cap. 33. n. 7.* Pirhing. *ad tit. de Conſtit. n. 79.* & DD. *præcedenti concl. citati.*

36. *Probatur 1. p.* Quia tametſi talis obligatio reſpectu Clericorum directè nequeat provenire ex vi legum Civilium, ob defectum jurisdictionis in Clericos; hinc tamen non ſequitur Clericos non obligari talibus legibus, quò ad vim directivam. Sicut à pari, licet Princeps ſeu legislator non habeat, jurisdictionem in ſeipſum, ſícque proprijs legibus non obſtringatur, quò ad vim coactivam, non ſequitur, eundem non obligari quò ad vim directivam. Provenit autem obligatio hæc, non quidem præcisè ex eo, quod Clerici ſint Cives & membra Reipublicæ, ſed partim ex eo, quôd ſuppoſita ejusmodi

modi lege Civili pro bono communitatis generaliter latâ, ratio naturalis, cui lex illa innititur, & æquitas poſtulet, ut pars à toto non diſcordet. Tum ex Jure naturali & Divino de vitando ſcandalo proximi; facilè enim ſcandalizarentur ſæculares ſubditi, & à debita hujusmodi legum obſervantia retraherentur, ſi Clericos perfectiorem ſtatum profitentes, & cæteros ad juſtam legum obſervantiam alioquin exhortantes, palàm & liberè viderent legibus hujusmodi contraire; Partim etiam ex authoritate S. Matris Eccleſiæ, ejusmodi leges pro bono publico approbantis ſeu recipientis.

37. *2da pars* patet ex dictis, quia Laicis deeſt poteſtas directè obſtringendi Clericos. *cap. at ſi Clerici 4. & cap. Clerici 8. cap. qualiter 17. de judicijs.* & *cap. ſæculares, de foro compet.*

38. DICES. Qui ſentit commodum ſentire debet & onus. juxta *Reg. 55. Juris. in 6.* ergo cum Clerici ſentiant commoda legum & ſtatutorum ſæcularium, debent ſentire & onera eorum tanquam membra ejuſdem Reipublicæ, adeóque tenebuntur legibus ſæcularium, quò ad vim coactivam. ℞. *Diſt. Ant.* qui ſentit commodum ſentire debet & onus, niſi ab onere ſeu præjudicio legis ſit ſpecialiter exemptus C. ſi ſit ſpecialiter exemptus, prout Clerici aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ, unà cum Eccleſijs rebúsque earum, peculiariter ſunt privilegiati & exempti à jurisdictione fori ſæcularis N.

39. DICO 3. Leges communes Juris Civilis, atque Municipales locorum, generaliter diſponentes circa contractus, aliásque res profanas, ſi ſint favorabiles, extenduntur, & procedunt etiam quò ad Clericos & Eccleſias, earúmque res, ſecus, ſi ſint ipſis præjudiciales. ita Abbas *in cap. Eccleſia n. 12.* & Felin. *ibid. n. 66. & 80. de Conſtit.* Menoch. *lib. 2. de jurisdict. cap. 1. caſu 3. & 4.* Card. de Luca. *Miſcellan. Eccleſiaſt. Diſcurs. 8. n. 6.* *Ratio 1. p.* deducitur argumento pupilli, qui ſine tutoris authoritate meliorem ſuam conditionem facere poteſt, non vero deteriorem. *§. 1. Inſtit. de auth. tutor.* Dein: tametſi Clerici exempti ſint à jurisdictione fori ſæcularis, non ſunt tamen forenſes aut extranei, à quibus Reſpublica nullum habeat ſubſidium: Subeunt enim onera ſpiritualia in celebratione Divinorum Officiorum, adminiſtratione Sacramentorum, prædicatione S. Evangelij, aliíſque muneribus Eccleſiaſticis, quæ tantò præponderant ſæcularibus, quantò ſunt animæ corporibus præſtantiores, quid ergo mirum, quòd Clerici in favorem ſuum uti poſſint communibus Laicorum legibus, cùm Clericatus non tollat ab ipſis prærogativas cæteris conceſſas,

ceſſas, nec faciat eos deterioris conditionis, quàm ſint Laici, juxta illud Apoſtoli *1. Corinth. 9. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus?* quaſi diceret, non eſt magnum ſed debitum; ex quo facilè deducitur. *Ratio 2. p.* præſertim, cùm in materia odioſa, nomine populi non veniat Clerus. *cap. ſententia 16. de ſent. excom. in 6.* ſed Notandum venit, quòd illa lex cenſeatur Clericis eſſe præjudicialis, quæ ſemper ac ſimpliciter nata eſt ipſis inferre incommodum, ſecus quando interdum commodum, interdum adfert incommodum; talis enim hîc non dicitur præjudicialis; quamobrèm leges contractuum. v. g. locati, conducti, depoſiti, emptionis, venditionis, & ſimiles, non ſunt Clericis præjudiciales, tametſi enim ejusmodi leges aliquando noceant Clericis, ùt puta condemnatis ex depoſito, poſſunt tamen ijs æquè prodeſſe, dum agere volunt ex depoſito. Similes itáque leges ſervandæ ſunt quò ad Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas, dummodo alias non contrarientur Sacris Canonibus. Abbas & Felinus *loc. cit.*

40. DICO 4. Leges Corpori Juris Civilis inſertæ, quæ generaliter diſponunt, ſive aliquid ſtatuunt circa contractus, modũ ſuccedendi ab inteſtato, & alia merè profana, cæteroquin autem Sacris Canonibus aut immunitati Eccleſiaſticæ non adverſantur, extenduntur etiam ad Eccleſias, perſonáſque Eccleſiaſticas, & obligant in utróque foro tam Canonico, quàm Civili, haud obſtante, quòd quandóque commodum, quandóque incommodum afferant. Abbas *loc. cit. n. 13. Ratio* potiſſima eſt, quòd licèt leges iſtæ Civiles ex ſeipſis non habeant vim obligandi Clericos, utpote exemptos à jurisdictione fori ſæcularis, eam tamen habeant ex acceptatione & authoritate Eccleſiæ. *arg. cap. 1. & 2. de N. O. N.* & *cap. fin. de alienat. judicij mut. cauſ.* & cap *ſuper ſpecula 21. de Privileg.* ubi notanter dicitur: *quòd ſancta Eccleſia, legum ſæcularium non reſpuit famulatum, quæ æquitatis, & juſtitiæ veſtigia immitantur.* Magnum tamen diſcrimen eſt inter leges ſæculares Corpori Juris Civilis inſertas, & inter ſtatuta Municipalia & particularia locorum; Nam iſtæ ſunt à Sacris Canonibus cognitæ, & ubi ipſis non contrariantur, neque peccatum fovent, tacitè approbatæ per *cap. 1. de N. O. N.* quod ſecus eſt in ſtatutis municipalibus Laicorum. Nam hæc ſunt Eccleſiæ atque Romano Pontifici incognita. *cap. 1. de Conſtit. in 6.* ac proinde non cenſentur approbata per Eccleſiam ad inſtar priorum. Surdus *Conſil. 301. n 50. & 51.* & Alij apud Sperellum, *Deciſ. 13. fori Eccleſiaſt. n. 2.*

41. Nec OBSTAT quòd *concl. 3tiâ* dixerimus, Clericos legibus Municipalibus quò ad vim duntaxat directivam obſtringi; ſiquidem impræſentiarùm non quæritur de honeſtate actuum, ſeu ad quid agendum vel fugiendum, in conſcientia, & ſub reatu culpæ, quis obligetur? ſed de valore actuum. ùt puta contractuum, non obſervatis ſolemnitatibus per ſtatutum Laicale præſcriptis, celebratorum; item de forma in judicijs ſervanda, de modo ſuccedendi ab inteſtato, & hujusmodi.

42. Recenſe breviter caſus, quibus ſtatuta Laicorum generaliter diſponentia, extendantur ad Clericos, eósque afficiant? Ecce hi ſunt: *1mus.* Quando ſtatutum Laicale eſt privilegiativum, ac merè favorabile, ùt conſtat ex dictis *n. 39.* *2dus.* Quando conſvetudo eſt promiſcuè ſeu communiter tam per Clericos, quàm Laicos introducta in loco; tunc enim obligat utrósque. Felin. *ad tit. de Conſtit. n. 81.* *3tius.* Quando Laicorum ſtatuta, etiam in ordine ad Clericos per Eccleſiam fuerint approbata, confirmata, vel communiter edita. Nam tunc Clerici ijs ſubjacebunt, non quidem, quatenus procedunt à poteſtate Laicali, ſed quatenus proveniunt ab authoritate Eccleſiaſtica. Ubi tamen *Nota*, quòd ſolus Papa de plenitudine poteſtatis ita poſſit ſtatutum Laicorum confirmare, ut vis obligandi Clericos proveniat ab ipſo ſtatuto; & *Ratio* quòd Papa poſſit Laicis committere poteſtatem excommunicandi & ſuſpendendi Clericos, ùt vult *Gloſſa* in *Can. Præter. §. verùm V. duci diſt. 32.* Abbas *loc. cit. n. 6.* & Felin *loc. cit. n. 3.* cùm hæc ſit poteſtas jurisdictionis, potiùs; quàm ordinis. Sed hoc de Epiſcopo dici non poteſt, utpote, qui nec eſt ſupra jus commune, nec plenitudine poteſtatis gaudet; Quocirca, ſi ille ſtatutum Laicorum, cæteroquin Sacris Canonibus non repugnans confirmet, confirmando illud ſuum efficit, ut obliget, non quà ſtatutum Laicorum, ſed quà Epiſcopale. *4tus* caſus eſt, quando Clericus agit contra Laicum, in foro Civili, & coram judice ſæculari; tunc enim quà actor, forum Rei ſequendo, quantùm attinet præparatoria judicij, ſeu litis ordinationem, debet ſervare ſtatutum & conſvetudinem Laicorum, non tamen in his, quæ pertinent ad litis deciſionem. *5tus* caſus eſt: quando Clericus vult uti ſtatuto Laicali pro ſe, tunc enim illud etiam debet admittere contra ſe; quia æquum eſt, ut quo quis Jure contra alium utitur, eodem alium contra ſe uti permittat. Neque per hoc præjudicatur libertati Eccleſiaſticæ, cùm aliud ſit Clericos per tale ſtatutum ſæculare ligari, & coërceri, aliud

eos ſub certa lege & conditione alicujus præſtationis v. g. obſervandi cæteras ſtatuti qualitates, ad ejus commodum invitari, ut notant Alexander, *lib. 2. Conſil. 210. n. 5.* Sperellus *deciſ. 11. n. 39.* *6tus* caſus eſt, quando Clericus cum alio contrahens voluntariè paciſcitur, ut pro obſervantia contractûs conveniri valeat ad formam ſtatuti Laicalis. Card. de Luca *tom. 1. Miſcell. Eccleſiaſt. diſc. 8. & 116. de Credito. n. 16. & 17.* quo tamen caſu Clericus non obligabitur ex vi ſtatuti Laicalis, ſed ex vi pacti. Quatenus contractus ex conventione legem accipiunt; neque hoc modô prorogabit in ſe juriſdictionem Laicorum, aut foro ſuo cedet, quia ùt dixi, obligatio non oritur ex vi ſtatuti illius, ſed ex vi voluntariæ paciſcentium conventionis aliunde *per ſe* ſtatum Clericalem non dedecentis; *7mus* caſus eſt: quando ex diſpoſitione SS. Canonum Clericus pro Laico habetur. ùt v. g. ſi ſit negotiator. Hic enim (niſi negotij honeſtas & neceſſitas excuſet) excommunicatur. *cap. ſecundum 6. ne Clerici vel Monachi.* & more Laici ſubjacet Gabellis, aliíſque oneribus Laicalibus. Simile quid obſervat Card. de Luca *cit. diſc. 8. n. 9.* in Clerico habente jus compaſcui, ita tamen, ut alio Jure paſcere non poſſit, niſi Civico, tunc enim communia tenentur ferre onera. *8vus* caſus eſt, ſi Clericus contrahat cum Laico in loco, ubi certæ ſolemnitates ad valorem & formam actûs adhibendæ ſunt. Abbas *ad cap. Eccleſia. cit. n. 43.* Felin. *loc. cit. n. 81.* Maranta. *Diſp. 8. 99. legalium n. 33. & 48.* Sperellus *deciſ. 10. n. 3.* & *Ratio*: quia contractus importans ultrò citróque obligationem claudicare, & uno ſolùm pede incedere nequit; adeóque, cùm Laicus non poſſit contrahere non adhibitâ formâ aut ſolemnitate ſubſtantiali, corruit actus in totum, & quidem in utróque foro. Abbas *loc. cit.* ſecus tamen eſt, ſi Clericus contrahat cum Clerico; quia leges & ſtatuta ſæcularia de ſe non poſſunt adſtringere, aut ſub nullitate actûs obligare perſonas Eccleſiaſticas, ab illo foro exemptas; *9nus* caſus eſt, quando ſtatutum Laicale concernit rem exiſtentem penes Laicum. v. g. ſi diſponatur, quòd res dotalis non poſſit alienari; tunc enim alienatio non ſubſiſtit, licet Clericus eam emerit, quia mulier fuit inhabilitata ad alienandam rem, aut fundum dotalem. §. *1. Inſtit. quib. alien. licet* adeò quidem, ut ſi ſecus fiat, ne naturalis obligatio pariatur *l. non dubium C. de LL.* Abbas *in cap. quòd Clericis n. 30. de foro compet.* ubi *n. 26.* etiam tradit non valere donationem Clerico factam, ultra quingentos ſolidos abſque inſinuatione apud judicem Laicum, quia Laicus utpote ſubditus legis illius,

eſt

eſt inhabilitatus ad donandum ultra illam ſummam abſque inſinuatione apud judicem. *l. Sancimus*, junctâ *Auth. ſeq. C. de donation.* niſi hujusmodi donatio facta foret Eccleſiæ, aut Clerico qua pauperi, pro ſalute animæ donantis. vide Perez. *ad tit. Inſtit. de donation. pag. mihi 159. Decimus* caſus eſt: quando ſtatutum Laicale injicit vinculum ante Clericatum, nec præjudicat immunitati Eccleſiaſticæ, aut favori Religionis, tale enim ſtatutum ſequitur ipſum Clericum, eúmque obligat, adeò, ut etiam in foro Eccleſiaſtico judicetur ſecundùm illud. Abbas *in cap. Eccleſia n. 34. de Conſtit.* & ibidem Felin. *n. 79.* Exemplum ſit: ſi ſtatuto ſæculari cautum, ut ſolus primogenitus ſuccedat in hæreditate, aut fæminæ, exſtantibus maſculis, excludantur â ſucceſſione, in bonis immobilibus, tunc enim ſecundò genitus Clericus factus, aut fæmina Monialis facta, hujusmodi ſtatuto ſtare tenetur. Menoch. *lib. 2. de jurisdictione cap. 8. dubitat. 1.* Ex hactenus dictis.

43. RESULTAT Statuta alicubi exſtantia, ne bona immobilia in perſonas Eccleſiaſticas transferantur, velut adverſas libertati Eccleſiaſticæ nullius eſſe roboris, ſtando ſaltèm Juri communi Canonico, cui jus Civile non contradicit. Ut videre eſt *in l. habeat 1. l. generali 13. l. jubemus 14. C. de SS. Eccles.* Si *Dicas* hujusmodi ſtatuta Clericis prodeſſe, ut à nota avaritiæ præſerventur. ℟. te ſimilem videri Medico illi, qui dicebat, febrim tertianam prodeſſe, eò quòd reddat hominem ſobrium. Et pari modo retorqueri poſſet; nec bonorum affluentiam expedire Laicis, ne luxui commeſſationibus, &c. inſerviant; Alia (*inquis*) magìs ponderoſa talis ſtatuti afferri poteſt *ratio.* Ne videlicet exhauriatur territorium, diminuantur, & denudentur Patrimonia Civium & ſenſim potior bonorum portio ad manus perveniat (ut ajunt) mortuas. Verùm, ùt ùt iſta viva poſſet videri ratio; nemo tamen, qui rem æquâ lance perpenderit (nî fallor) aſſerere audebit ſupremum etiam Principem, absque aſſenſu aut ſaltèm ratihabitione Pontificis, hujusmodi ſtatutum ſtatui Eccleſiaſtico præjudicioſum, condere poſſe; Quocirca, dum hîc in Moravia & vicina Bohemia vigere cernimus ſanctionem pragmaticam, vigore cujus absque conſenſu ſuæ Sacræ Cæſ. Majeſtatis interdictum Religioſis & Clericis collegialiter viventibus, emere bona immobilia; nefas eſt cogitare, tacitum ſaltèm non acceſſiſſe Pontificis conſenſum, qui ſicut exemptionis Eccleſiaſticæ eſt Author, ita eandem nonnihil reſtringere poteſt, præſertim intuitu Auguſtiſſimæ Imperialis Majeſtatis, de Eccleſia optimè meritæ.

FINIS.

INDICULUS
Præcipuarum Materiarum.

ABBATES Ordinum Divi Norberti & Benedicti poſſunt condere ſtatuta pro bono Monaſterij independenter à Viſitatoribus, imò & toto Ordine dummodò Regulæ non adverſentur. *Sect.* §. *4. n. 44. pag 127.*

ABROGATIO quid? *ſect. 1. §. 5. n. 34. pag 13.* alia eſt cauſalis, alia formalis *Sect. 2. §. 3. n 18. pag. 25.*

ACTUS humanus internus quid? *Sect. 3. §. 10. n. 83. pag. 55.* an directè præcipi poſſit per legem humanam? ibid. *n. 85.*

Æquitas præponderat ſtricto Juri. *Sect. 3. §. 16. n. 167. pag. 86.*

Alienatio rerum Eccleſiæ ſine Solemnitatibus de Jure requiſitis valet in foro animæ. *Sect. 3. §. 16. n. 167 p. 64.*

Amentes perpetuò, poſſunt comedere carnes in Quadrageſſima. *Sect. 3 §. 3. n. 22. pag. 37.* clauſuras Monialium citra excommunicationem intrare poſſunt. *ibid. n. 23.*

Annatæ quid? & quomodò præſtandæ in Germania? *p 155. n. 23.*

Appellare debet ad Principem populus, ſi juſtam cauſam habeat Legis non acceptandæ.

An à Pontifice ad Reges a appellare liceat? *ſect. 4. §. 6. n. 62. p. 137.*

Archi Epiſcopus An poſſit diſpenſare in lege ſuorum Epiſcoporum? *Sect. 3. §. 20. n. 240. p. 108.*

Argumentum à ſenſu contrario & à ſimili quandò procedat. *Sect. 3. §. 19. n. 214. & ſeq. p. 100.*

Beneficia quænam per Concordata Germaniæ reſervata ſint Pontifici. *p. 146. n. 3. & ſeqq:*

Bruta cur injuriam irrogare nequeant? *Sect. 1. §. 1. n. 2. pag: 1.* quommodò puniantur? *ibid: n. 3.*

Canones Apoſtolorum qui? *Sect: 3. §. 20. n. 239. p. 108.*

Cathechumeni non obſtringuntur legibus Eccleſiaſticis. *Sect: 4. n. 56.*

Capitula & aliæ communitates, an poſſint revocare ſtatuta à Capitularibus jurata? *Sect: 3. §. 20. n. 257.*

Cælibatus eſt jure naturali permiſſus. *Sect: 1. §. 2. n. 19. p. 6.*

Collegium Cardinalium Sede Papali vacante nullam habet poteſtatem leges condendi. *Sect: 4. §. 9. n. 50.* Collegium ſeptem-virale an à Pontifice Gregorio V. inſtitutum fuerit. *Sect: 4. §. 6. n. 63. p. 137.*

Concilij Gener: confirmatio cur à Theodoſio Imper: petita? *Sect: 4. §. 3. n. 10.*

Concilium Generale Papæ non præjudicat. *ibid: n. 32.* quid poſſit in caſu ſchiſmatis aut Eccleſiæ diu vacantis? *n. 33.* quid poſſint Concilia particularia quò ad conſtitutiones, ſeu leges? *ibid: n. 34.*

Concordata Germaniæ quid? *p. 145. n. 1.* Pontifex ijs ſine nationis Germanicæ conſenſu & abſque gravi neceſſitate extra Concilium Generale derogare nequit. *p. 156. n. 25.*

Conſtitutiones novæ Pontificiæ quatenus derogent prioribus Decretis Concilij generalis? *Sect: 3. §. 20. n. 235.*

Ex contractu Jure irrito acquiſitum, an in for-

foro conſcientiæ retineri poſſit ſaltem ante ſententiam judicis. *Sect:* 3. §. 16. *n.* 159. *& ſeq: p.* 83. contractus minorum ſine ſolemnitatibus de Jure requiſitis facti valent in foro conſcientiæ. *ibid: n.* 167. *p.* 86.

Chriſtiani prohibentur ſuppeditare Saracenis arma ad Chriſtianorum oppugnationem, item cohabitare, aut famulari Judæis. *Sect:* 4. §. 5. *n.* 57. *p.* 132.

Decretum Gratiani quam Authoritatem habeat?

DEus non poteſt diſpenſare in lege naturæ. *Sect:* 1. §. 5. *n.* 52. *& ſeq. pag:* 15.

Diſpenſatio quid? *Sect:* 1. §. 5. *n.* 43. *p.* 13. & plenius. *Sect.* 3. §. 20. *n.* 238.

Diſpenſare quis poſſit in lege humana? *ibid: n.* 239. an inferior in lege ſuperioris? *n.* 241. an teneat diſpenſatio ſine rationabili cauſa facta? *ibid: n.* 44. an ſi cauſa falſa allegata? *ibid:* 246. an expiret diſpenſatio morte diſpenſantis? *ibid:* 250. an cauſa diſpenſationis ceſſante? *ibid: n.* 251.

Donatio Italiæ an & quo Jure à Conſtantino Imperatore facta ſit Sylveſtro I. Papæ? ubi perſtringitur Vitriarius cum alijs Novatoribus. *Sect:* 4. §. 6. *n.* 67. *p.* 139.

Declarationes Cardinalium cujus ſint ponderis? *Sect:* 4. §. 2. *n.* 12. *p.* 106.

Eccleſia Romana eſt prima omnium.

Electus Simoniacè tenetur in foro conſcientiæ dimittere beneficium. *Sect:* 3. §. 16. *n.* 163. *p.* 85.

Epiſcopus an & quæ ſtatuta condere valeat? *Sect:* 4. §. 4. *n.* 37. *uſq; ad n.* 53.

Epikeïa quid? *Sect.* 1. §. 5. *n.* 43. *p.* 13. an admittenda in jure naturæ? *ibid: n.* 57. *p.* 17. an in jure Divino poſitivo? *Sect:* 2. §. 5. *n.* 37. *p.* 30.

Fiſco quatenus debeantur bona ipſo jure publicata? *Sect:* 3. §. 15. *n.* 135. *p.* 57.

Græci an teneantur legibus Eccleſiæ Latinæ. *Sect.* 4. §. 5. *n* 58. *p.* 133.

Hæretici ſubduntur Conſtitutionibus Eccleſiaſticis. *Sect:* 4. §. 5. *n.* 55. *p.* 131.

Hæreticorum ſectæ in terris Imperij Romano-Germanici per pacificationem Oſnabrugenſem aut monaſterienſem non ſunt approbatæ, ſed nudè toleratæ. *ibid.* §. 6. *n.* 65. ut proindè Hæreticus Imperatoriæ Majeſt: ſit incapax.

Ignorantia quæ, & quatenus excuſet à culpa aut pæna? *Sect:* 3. §. 14. *n.* 104. *p.* 76. *& ſeqq:*

Imperator an teneatur legibus Imperij? *Sect:* 5. §. 2. *n. p.* 159. in quibus cauſis coram Palatino conveniri poſſit? *ibid. n.* 10. an in caſu extremæ neceſſitatis vel utilitatis maximæ, ea mutare poſſit, quæ in ſua capitulatione, vel aliàs juratò ſervare promiſit? *ibid: n.* 13.

Interpretatio quid? & quotuplex. *Sect.* 1. §. 5. *n.* 43. *p.* 13. *item ſect.* 3. §. 19. *n.* 799. *p.* 95. quis legem queat interpretari? *n.* 202. *& ſeqq.*

Italia quomodò ad Romanam Sedem pervenerit? *Sect:* 4. §. 6. *n.* 67. *p.* 139.

Jus naturale quid? & quotuplex ſit? quomodò diſcrepet à jure Gentium & Divino? *ſect:* 1. §. 1. *à n.* 1. *uſque ad* 12. quæ ſit materia juris naturalis. *ſect.* 1. *n.* 16. *& ſeqq. p.* 5. an actus quos prohibet, ſimùl irritet? *ibid:* §. 3. *n.* 31. *p.* 9. an mutari poſſit? *ſect:* 1. §. 4. *n.* 34. *p.* 10. Jus Divinum quid? & quotuplex? *ſect.* 2. *per tot:* Jus humanum quid? *ſect.* 3. *n.* 1. *p.* 31. Jus Canonicum quid? & quotuplex? *ſex:* 4. §. 1. *n.* 1. *& ſeqq.* quas partes contineat? *ibid:* §. 2. *n.* 4. quàm iſtæ Authoritatem habeant? *ibid: n.* 5. Jus Civile quid? & quotuplex? *ſect.* 5. §. 5. *n.* 1. *& ſeqq. p.* 157. quinam huic juri obſtringantur? *ibid:* §. 2. *n.* 6.

Lex moſaïca an fuerit imperfecta? *Sect:* 2. §. 2. *n.* 9. *& ſeq. p.* 21. quandonam & quomodò expiraverit. *ibid.* §. 3. *n.* 14. *& ſeqq. p.* 24. quinam obſtringantur particularibus locorum Legibus. *ibid:* §. 4. *n.* 27. *p.* 39.

Legiſlator tam Civilis quàm Eccleſiaſti-

cus poteſt obligare ſub culpa gravi Theologica. *Sect: 3. §. 8. n. 65. p. 50.*
Leges pœnales an & quomodò obligent in conſcientia? *Sect: 3. §. 13. n. 123. & ſeqq: p. 71.* an obligent ad pœnam ante ſententiam condemnatoriam, aut declaratoriam. *ibid: à n. 131.* an etiam ſtringant ignorantes. *ſect: 3. §. 14. per tot.*
Lex in præſumptione fundata, an & quomodò obliget in conſcientia? *Sect: 3. §. 15. à n. 140. p. 78.*
Lex prohibens actum an ſemper ſit irritans? *ibid: §. 16. per tot.* ad obligationem Legis, an & qualis requiratur promulgatio? *Sect. 3. §. 17. per tot.*
Legislator Eccleſiaſticus poteſt etiam directè præcipere, aut prohibere quosdam actus internos. *Sect: 3. §. 10. n. 90. pag: 57.*
Lex an pendeat ab acceptatione populi? *Sect. 3. §. 18. n. 189. p. 92.* quomodò Leges ſint interpretandæ? *ſect. 3. §. 19. per tot.* quandonam ceſſet lex? *ibid. §. 20. à n. 224.*
Menſis Papalis aut Ordinarij quandonam incipiat & finiatur ad effectum collationis? *p. 152. n. 16.*
Palea quid in Jure Canonico? *ſect: 4. §. 2.* n. 8.
Papa non poteſt diſpenſare in Jure naturæ. *Sect: 1. §. 5. n. 44. p. 13.* nec in jure Divino poſitivo. *ſect: 2. §. 5.* nullas poteſt incurrere cenſuras. *Sect: 1. §. 2. n. 16. p. 35.* Leges ferre poteſt pro toto Orbe Chriſtiano etiam abſque Cardinalium conſenſu. *Sect: 4. §. 3. n. 26. & ſeq.* Poteſtatem Judiciariam non habet ab Imperatoribus ſed immediatè à Deo. *ibid: n. 16. & 18.*
Polyviratus eſt rigoroſè contra jus naturæ *Sect: 1. §. 2. à n. 21. p. 7.*
Poteſtas Legislativa competit Principi etiam malo. *Sect: 3. §. 7. n. 92. p. 49.* poteſt etiam competere Reginæ. *ibid. n. 64. p. 50.*
Poteſtas ſpiritualis an competat ſummo Principi Laico? *ſect: 4. §. 6. n. 60.*
Præſcriptio an currere poſſit contra concordata Germaniæ? *p. 158.* n. 7.
Præceptis diverſis an ſatisfieri poſſit per actus diverſos ſimùl exercitos? *Sect: 3. §. 11. n. 103.* & è contra an per unum actum diverſis queat ſatisfieri præceptis? *ibid: n. 104.* preces primarias unde Imperator habeat? *Sect: 5. §. 3.*
Princeps etiam de Poteſtate abſoluta nequit abſque cauſa jus ſubdito quæſitum auferre. Sect. 3. §. 12. *n. 110. p. 77.*
Regulæ Cancellariæ quid ſint? & quomodò obligent? *Sect: 3. §. 17. n. 171. pag. 97.*
Rubrica quid? *Sect: 4. §. 2. n. 9. p. 115.*
Statuto Epiſcopi tenentur omnes Diæceſani, etiam Reges *Sect: 4. §. 4. n. 36. pag: 125.*
Subreptio doloſa an cauſet ipſo Jure irritationem diſpenſationis? *Sect: 3. §. 20. n. 248.*
Teſtamentum debitis ſolemnitatibus deſtitutum quatenus valeat? *Sect: 3. §. 16. n. 165. p. 85.*

FINIS.